FRED. GUIL. EHRENF. ROSTII

OPUSCULA

PLAUTINA.

POST AUCTORIS MORTEM

EDIDIT

CAROL. HENRIC. ADELB. LIPSIUS.

VOL. I.

CONTINENS

COMMENTATIONES PLAUTINAS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS CAR. FRANC. KOEHLERI.

MDCCCXXXVI.

FRED. GUIL. EHRENF. ROSTII

QUONDAM PHIL. DOCT. IN LITER. UNIV. LIPS. PHIL. PROF. EXTRAORD. SCHOL. THOM. RECTORIS, POETAE CAES. LAUREATI, PLURIUM SOCIET. ERUDIT. SODALIS

COMMENTATIONES PLAUTINAE.

POST AUCTORIS MORTEM

EX NOVA EIUS RECENSIONE

EMENDATIORA EDIDIT

CAROL. HENRIC. ADELB. LIPSIUS

PHIL. DOCT. IN LIT. UNIV. LIPS. PRIV. DOC. SCHOL. THOM. COLLEG. III. SOCIET. HISTORICO-THEOL. SODALIS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS CAR. FRANC. KOEHLERI.

MDCCCXXXVI.

LIPSIAE, TYPIS FR. CHR. GUIL. VOGEL.

PRÄFATIO EDITORIS.

Fred. Guil. Ehrenfr. Rostius, socer meus, cuius defuncti memoriam gratissimo animo summaque pietate prosequor, quum iterum iterumque a viris doctis rogatus esset, ut scriptiones suas Plautinas, merito illas quidem applausu exceptas, ultra angustos fines, quibus libelli scholastici vel academici contineri solent, divulgaret; rem saepius in posterum dilatam tandem ante hos decem annos serio aggressus est iamque priores septem, qui hoc volumine proponuntur, libellos typis ex-

scribendos curaverat. Sed partim dissensione aliqua cum priore libri redemptore exorta, partim negotiorum, quibus auctor distrahebatur, multitudine ac gravitate, tum etiam perpetua, qua laborabat, corporis infirmitate, effectum est, ut vix inchoatum opus interrumperetur et usque ad auctoris mortem iaceret imperfectum. Huius igitur perficiendi ego in me suscepi negotium. Nam licet ego non is sim, qui interiorem aliquam prae me feram cum Plauto familiaritatem, ut quem et muneris officiique ratio et animi inclinatio ad longe alia trahant; tamen, ut mihi ipsi sumerem peragendum opus, neque alicui eorum committerem, quorum celebrata hodie est in hoc genere literarum eruditio, haec causa fuit, quod nihil aliud volebam, nisi hoc, ut quam accuratissime repeterentur ipsius auctoris verba: ex quibus quae iam antea typis fuerunt exscripta, non aliam, nisi correctoris operam requirebant, ea autem, quae manu sua adscripserat auctor, non tam peritum Plauti interpretem, quam scitum manus Rostianae lectorem postulare videbantur. Erant enim illa propter innumera scribendi compendia nimiamque literarum tenuitatem adeo ad legendum difficilia, ut ei negotio vix quisquam ido-

neus videretur, nisi qui multo usu cognitam haberet auctoris scribendi consuetudinem.

Fuit autem totius operis instituendi ratio haec. Ac primaria quidem b. Rostii cura in eo posita fuerat, ut quos olim composuerat libellos, iam aliquanto emendatiores auctioresque proponeret. Quaecunque enim inde ex eo tempore, quum primum illos edidisset, vel assidua Plauti sui aliorumque scriptorum lectio, vel novorum subsidiorum cum interpretationem tum emendationem Plauti adiuvantium usus, vel eorum, quae ab aliis viris doctis de iisdem rebus disputata essent, comparatio suppeditaret, iis omnibus ad librum suum exornandum, quantum posset per illa, quae dixi, impedimenta, usus est diligentissime.

Ex his igitur emendationibus, quae ad priores septem libellos pertinerent, quos vivo Rostio excusos esse dixi, eas hic ipse ita disposuit, ut illis quidem extremam manum imposuisse putandus sit; mihi autem hoc unum fuit relictum, ut hos quoque libellos, quum nec typorum, quibus exscripti erant, forma satis placeret, neque exemplarium tantus, quanto opus videretur, su-

peresset numerus, denuo exprimendos curarem. Ceterum quaecunque in his quidem libellis emendata reperiuntur, spectant illa aut ad orationis expoliendam elegantiam; veluti si librorum *loca* mutata comparent in *locos*, vel pro locis, qui *occurrunt*, rescripti loci, qui *leguntur*, vel pro iis, quae *nuspiam* sunt, reposita ea, quae *nusquam* inveniuntur, et quae sunt similia, qualia in singulis quibusque libellis facile quivis reperiet; aut ad ipsarum rerum, quae exponuntur, docendam veritatem; cuiusmodi sunt illa additamenta, quibus auctor vel nova adtulit ex Plauto aliisque scriptoribus rerum expositarum exempla, vel novos citavit sententiae a se dictae testes, vel contrarias refutavit aliorum opiniones, vel fontes indicavit recens apertos, unde hausta esset accuratior alicuius rei notitia. Quae quidem additamenta vel in ipsam verborum olim scriptorum seriem intexta, vel in margine singularum paginarum apposita, vel etiam ad calcem alicuius libri (v. c. libelli VII. p. 83. sqq.) adiecta; numero autem ita inter singulos libellos distributa sunt, ut plura in lib. I. III et VII., pauciora in lib. V et VI., nulla prorsus in lib. II et IV. reperiantur.

Paullo maior opera adhibenda mihi fuit in posterioribus viginti libellis, in quibus quae emendata vellet auctor, manu sua inscripserat in margine cuiusdam singulorum libellorum exemplaris. Sed haec quoque quum ita comparata esse intellexissem, ut dubitari non posset, quin auctor ea plane sic, ut hic scripta legerentur, typis exscribi voluisset, tacite ubique in textu conformando expressi; exceptis tamen duobus locis (v. pag. 100 et pag. 154.), in quibus quae notaverat auctor, quum ad antiquum verborum contextum non satis adaptata viderentur, in inferiori paginarum margine apponenda et uncinis includenda putavi, monito de ea re lectore et additis nominis mei siglis. Id quod feci etiam tribus aliis locis (v. p. 115. 123 et 153.), ad quos quae notata leguntur, ex alio quodam, quam de quo supra dixi, exemplari petita sunt. Pertinebant autem omnes illae emendationes manuscriptae tantum ad eos libellos, qui Ferculorum nomine inscribuntur, inde a ferculo primo usque ad quartum decimum, excepto tamen tertio decimo, in quo postremo pariter atque in reliquis quinque ferculis (si exceperis duos locos in ferc. XVIII. p. 302. not.

et ferc. XIX. p. 309. not.) et in eo libello, qui est de vocibus hybridis scriptus, nihil adnotatum inveni. Earum autem, quae ad priora fercula pertinent, emendationum maior quidem numerus in ferculis I. III. IV. VI. VII et XIV., pauciores in reliquis reperiuntur. Ceterum in his quoque libellis duplex erat emendationum genus. Aut enim delevit auctor et retractavit, quae olim scripserat, aut nova quaedam addidit. Deletae autem sunt aut integrae de locis quibusdam Plautinis disputationes, aut aliquae tantum earum partes. Quas integras delevit disputationes, in earum locum vel nihil substituit, quod accidit his locis: Mostell. I. 3, 121. (ferc. IV.) III. I, 59. (ferc. eodem.) Cistell. II. 1, 37—40. (ferc. V.) et Stich. II. 2, 70. (ferc. VII.); vel novam eamque rectiorem reposuit interpretationem, cuius rei unum exemplum est in Cistell. II. 1, 35. (ferc. I. p. 102.); vel, si bis eosdem locos olim tractasset, binas disputationes in unam contraxit; ex quo genere sunt hi loci: Epid. III. 1, 12., antea ferc. I et VII., nunc posteriori tantum loco tractatus p. 163.; Mostell. III. 2, 143., olim ferc. IV et XIV., nunc semel

p. 247. explicatus; Stich. III. 2, 41., cuius duplex interpretatio ferc. VI et XV. proposita nunc in unam contracta legitur p. 267.; Pers. II. 2, 38., de quo quae olim ferc. VIII. disputata erant, nunc omissa sunt propter eiusdem loci interpretationem ferc. XV. p. 263 sq. propositam. Quamquam etiamnum supersunt quidam loci, bis ab auctore tractati, veluti Pseudol. I. 3, 67. de quo vid. ferc. VIII. p. 181 et ferc. XIII. p. 236 sqq. Similiter autem atque in his locis, quos totos auctor retractavit, factum etiam est in iis locis, quos ex parte tantum refinxit; quos tamen longum est hic singulatim recensere. Additamenta autem, quibus aucti passim reperiuntur hi posteriores libelli, plane eiusdem generis sunt cum illis, quibus priores septem instructos esse supra dixi. Nam licet novos locos Plautinos praeter eos, quos pridem in ferculis exposuerat, auctor non addiderit, tamen ipsorum illorum, quos antea tractaverat, expositionem multis partibus auctiorem exhibuit plenioremque. Quod ita plerumque fecit, ut pristinam suam de illis locis sententiam vel dilucidius explicaret determinaretque accuratius, vel novis argumentis stabiliret ac defenderet contra

alias aliorum opiniones; nonnunquam tamen mutatam etiam sententiam, si delere nollet, quae olim scripsisset, adscripta nota aliqua indicavit, cuius exemplum vide in ferc. VII. ad locum Epid. III. 4, 87. 88 et in ferc. IX. ad Amphitr. I. 1, 25. Locus autem his quoque additamentis assignatus est vel in margine paginarum inferiori vel in ipso orationis contextu.

His igitur, quas dixi, emendationibus effectum esse spero, ut non multum certe differre videatur inter eos libellos, quos ipse auctor iam absolverat, et hos posteriores, quos mihi, ex paratis scilicet ipsius copiis, edendos locupletandosque reliquit. Sed persuasum tamen habeo, illum, si licuisset inceptum opus perficere, etiam alia plura in his vel emendaturum vel additurum fuisse. Cuius rei haec habeo indicia: Primum est, quod in quibusdam horum libellorum vel nihil vel paucissima adnotata esse supra memoravi; quamquam hoc quidem, quemadmodum in illis quoque factum est, quibus auctor ipse extremam manum imposuit, ita ne mirum quidem esse potest in iis, quos novissimis demum scripsit temporibus, neque in eo, quo

exposuit de vocibus hybridis, quippe quam materiam in posterioribus etiam ferculis (v. p. 247 sq. et p. 280 sq.) iterum iterumque tractaverit. Alterum positum est in eiusmodi notis, qualis legitur p. 100. ad Captivorum prologum, ubi qui citatur locus Horatianus quum repugnare videatur iis, quae in textu exposita sunt, facillima est coniectura, auctorem hunc quoque locum, priusquam in lucem ista emitteret, denuo retractaturum fuisse. Tertium denique eiusdem rei indicium illud intelligo, quod singula quaedam verba et locutiones, quas in prioribus libellis cum aliis commutatas esse monui, in posterioribus passim relictae sunt; quas poteram sane non invito auctore corrigere, sed ne quidquam meae ipsius auctoritati tribuisse viderer, hoc uno loco de ea re lectorem admonere, quam singula mutare malebam. Ceterum quod commemorantur passim loci, quos ait auctor se alias explicaturum esse (v. c. Menaech. IV. 2, 19. p. 62.), nec tamen in his quidem libellis explicuit; quodque ferculum XII inscripsit *Plantarum horti Plautini seriem primam*, cui tamen altera series non respondet; ex eo facile colligitur, habuisse eum praeter illa, quae iam

apposuit, etiam alia, quae expromere posset e penu suo Plautinorum cupediorum fercula. Id quod testantur etiam illae notae manuscriptae, quas idem de aliis, quam qui hoc libro exponuntur, locis Plautinis, vel in quibusdam schedulis vel in duobus Plauti Ernestiani exemplaribus inscriptas reliquit, non accurate illas quidem elaboratas, sed paucis plerumque verbis, quid ille de quovis loco statueret, significantes. Quas notas quamvis potuissem in fine libri tamquam supplementum aliquod adiicere, tamen, quoniam dubitabam, an id invito auctore facturus essem, omisi.

Haec habui, quae praefarer de emendationibus, quibus auctor hanc novam libellorum suorum recensionem praestare voluit priori singulorum editioni. In reliquis omnibus quam viam ille praeiverat in prioribus septem, quos ipse absolverat, libellis, eadem etiam in posterioribus progrediendum mihi putavi. Itaque omissi sunt et tituli programmatum pleniores et appendices, quibus solemnitates scholasticae vel academicae indicuntur; excepto ferculo XII., in quo quum ipsum libelli argumentum arctius co-

haereret cum data scribendi occasione, quam et titulus indicaret et epilogus uberius persequeretur; et illum praefixi paullo pleniorem, et hunc integrum servavi; quemadmodum ab ipso auctore factum vidi in ea dissertatione, quae scripta est de nuptiis servilibus. Eodemque modo etiam illa servanda existimavi, quae auctor praefatus est ferculo primo. Reliqui autem libelli quo tempore et qua occasione primum sint in lucem emissi, in ipsa fronte totius libri indicavi, unde simul apparebit, ordinem singulorum libellorum ab ipso auctore constitutum ita a temporum ratione discrepare, ut primum locum teneant scriptiones duae academicae, tum sequantur reliquae commentationes, quae varii sunt argumenti nec communi quodam nomine inscriptae, claudant autem agmen illae, quae Ferculorum nomine comprehenduntur. Praeterea ad calcem libri triplicem indicem subieci, quo conficiendo gratum me facturum esse sperabam iis, qui libro usuri essent. Orthographiam denique et interpunctionem auctori usitatam, quamvis nec mihi ubique placeret, nec ille ipse in huiusmodi rebus satis sibi constaret, tamen paucis exceptis retinui.

Reliquum est, ut alterum horum opusculorum volumen, quod continebit novem fabulas Plautinas in vernaculum sermonem conversas, quam minimo temporis spatio intermisso in lucem proditurum esse affirmem.

Scribebam Lipsiae mense Martio
a. MDCCCXXXVI.

CONSPECTUS COMMENTATIONUM, QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

**

d. XXI. Apr. MDCCCXXXI. per eand. occas., iterum excusum in S. V. *Illgenii Commentariis historico - theologicis* (Zeitschr. für d. histor. Theol.), Vol. II. fasc. 1. Lips. 1832. p. 17—25. — p. 285 sqq.

XXVI. Plautinorum Cupediorum Ferc. XVIII. (de Plautinarum fabularum titulis), editum d. XXV. Apr. MDCCCXXXIII. per eand. occas. p. 294 sqq.

XXVII. Plautinorum Cupediorum Ferc. XIX., editum d. XVII. Apr. MDCCCXXXIV. per eand. occas. p. 306 sqq.

I.

DE
PLAUTI AUCTORITATE
AD FACIENDAM
RERUM ANTIQUARUM FIDEM.

Plautinis fabulis non idem ab omnibus omni tempore statutum esse pretium, aliosque fuisse, qui et ingenii subtilitatem, et salium facetias, et castitatem morum et linguae elegantiam et metri diligentiam haud raro in iis desiderare sibi viderentur, cum alii nihil huius generis in poeta non laudandum, certe non excusandum putarent, id earum rerum peritis constat satis atque nullam habet admirationem. Nam cum tanta sit hominum in sentiendo et iudicando varietas, ut ex iis, qui una cum aliquo vivant, vix duos easdem plane de eo sententias ferre audias, quid mirum fuerit, si iudices multa secula post nati, quam omnium rerum ingens facta est mutatio, de rerum vetustissimarum pretio aliter atque priores statuant, et ipsi magnopere in iudiciis suis discrepent! Quare mihi videntur aeque iniusti erga Plautum esse ii, qui ex seculi sui sapientia suaque rerum informatione metiri et censere priscum poetam conantur, quam negligentes sui temporis profectuum, qui eum omnibus numeris absolutum et nulla arte ab iis, qui serius vixerunt, poetis comicis superatum esse contendunt. Haec enim est humano generi insita et innata lex, ut non singuli solum, quid verum, bonum atque pulcrum sit, procedente tempore melius perspiciant, sed totae etiam aetates, maiorum sapientia adiutae, ulteriores in omni

virtute faciant progressus; quo fieri oportet necessario, ut, quemadmodum iter facientibus quanto longius procedunt, ea quae relicta sunt a tergo tanto minus splendere, magisque caligare incipiunt, ita quoque ingeniorum fructus antiquitatis situ oppressi colorem suum ac dulcedinem salubritatemque pedetentim amittant. Quo fit, ut scriptores, etiam aequalium suorum praestantissimi, posteritatis gravem censuram subire cogantur, et casci Ennii experiantur fortunam, cui licet alii viderentur rem scripsisse

Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant,
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat:

tamen ingenii artisque fama adeo non propria atque sempiterna fuit, ut non longissimo interiecto tempore Virgilio aurum quidem, sed de stercore colligendum, reliquisse ipse existimaretur. Licet vero, qui super Plautina inventione pariter atque elocutione iudicent, in omnia alia discedant, in eo tamen cunctos convenire videas, ut ex fabulis eius magnam antiquitatis scientiam hauriri posse contendant. Neque hoc immerito. Tantum enim lucis accendunt illae ad cognoscenda veterum Romanorum instituta, mores, opiniones, studia, ut perditas ejus poetae fabulas hoc nomine multorum Virgilii Horatiique carminum iactura lubens redimerem. Haec dico iis, qui me intelligunt. Potest enim damnum, in operibus ingenii factum, quoniam nova semper succrescunt et emergunt ingenia, aliquando sarciri et quasi cum usuris restitui; sed rerum gestarum memoria, ubi semel exstincta est, nulla temporum longinquitate reviviscit. Habet autem antiquitatis notitia, e Plauto percipienda illa, eo maiorem utilitatem, quoniam eius, quo ille vixit, temporis nulli ad nos venerunt integri scriptores: ne dicam historici, quorum ars ad Ciceronem usque a Romanis literis abfuit (de Legg. I. 5.). Sed ne historicorum quidem industria, si qua in describendis illis temporibus elaborasset, inutilem faceret Plauti operam, quippe cum veteres historici rerum publice gestarum et bellorum narratione potissimum occupari

soleant, privatam vero civium vitam et pacis instituta vix obiter attingant. Hinc factum est, ut Plautus inter praecipuos antiquitatis Romanae auctores numeretur, unde ii, qui vetera Romanae civitatis instituta describunt, rerum narratarum testimonia repetant, quibus vel aliis scriptoribus silentio praetermissa doceant, vel aliunde cognita confirment. Cui quidem auctoritati eo maior vis atque potestas tribuenda videtur, quo magis ea, quam e Plauto discimus, rerum Romanarum conditio talis est, qua ipse magnam partem uteretur, quamque non audiendo legendove, sed vivendo cognitam et perspectam haberet. Ex hoc igitur fonte, largiter et puro solo fluente, antiquitatum scriptores prata sua merito irrigarunt, modo studiosius cavissent, ne torrentes incurrerent, qui liquoris amoenitatem limo turbarent, inutilique arena floridum campum obducerent. Ostendam cuiusmodi res sit. Magna copia errorum est, e Plauti fabulis in historiam Romanam introductorum, quorum culpam non poeta, sed interpretes sustinent, qui, auctoritate illius saepissime male abusi, nubem pro Iunone amplexi sunt, et reperisse se in Plauto putarunt, quod ne pueri quidem in faba. Cuius rei causam primariam et fere unam in eo positam censemus, quod rebus et sententiis a Plauto propositis plenam, indubitatam et talem fidem adiunxerunt, qualem vix historicis haberi consentaneum est. Quod quam incogitate, quantoque veritatis detrimento factum sit, hodieque fiat, tum maxime apparebit, cum causas et rationes, quare Plauto in rebus ad antiquitatis scientiam pertinentibus difficile fides habenda sit, via atque ordine exposuerimus.

§. 1.

Iam a principio nemini non in mentem venerit fingendi necessitas, munus poetis adeo proprium, ut sine eo poetam esse iam a Socrate*) et post eum ab Aristotele negatum sit. Quo quidem munere, quo rectius

*) Plutarch. de aud. poet. p. 16. ed. Sylb.

quis fungitur, eo melius officio suo oblectandi aliorum animos satisfacere existimandus est *). In omni igitur carminum genere non id curant poetae, ut nihil narrent, nisi quod vere ita evenerit; sed eo contenti, ut, quae facta aut dicta fingant, non repugnent, omnem operam in animo iucundis sensibus afficiendo, suaviterque commovendo consumunt. Quem finem ut facilius consequantur, sese intra verum non continent, sed terminos eius egrediuntur, ipsamque adeo verborum insolentiam **) rerum novitati attemperant. Vti vero istam veritatis transgressionem nulli poetae sibi religioni ducunt, ita comicos ei maxime studere oportet, quorum virtus in eo cernitur, ut expressas stultorum hominum imagines, non cuiusmodi sunt, sed quales cogitari possunt, in scenam producant, utque largam ridendi materiam, quae ipsa ex improvisa fallacia nascitur, inveniant. Huic autem comici poetae duplici officio, quo magis satisfacere studuit Plautus noster, et quo maiori cum libertate indulsit suo ingenio, eo graviorem interpreti reddidit difficultatem sustinendi sui muneris. Quo si quis recte fungi vult, eum oportet suum sibi semper monitorem esse, atque in singulis paene versibus quaerere, utrum aliquid serio an iocose et deridiculi gratia, utrum ex animo, an simulate dicatur. Nam eo, quod interpretes multa in serium converterunt, quae per iocum dicta sunt, a recta sententia in transversum acti aberrarunt. Sic e. g. ex mera licentia comica fingitur in prologo Curcul. v. 69. mos ille servilium nuptiarum apud Carthaginienses, Graecos et Apulos, qui nusquam locum habuit, etsi prologus interposito pignore eum illis gentibus asserere velit. Item condimenta illa, quibus escas suas se condire praedicat cocus in Pseudolo III. 2. cicilendrum, sipolindrum, macis et alia, ibidem loci veneunt, vbi ὄνου πόκας et ὀρνίθων γάλα Aristophanes redemit.

---

*) Vide auctorum locos a Spanhemio ad Aristoph. Ranas 937. citatos.

**) Verba inusitata, ait Cicero, sunt poetarum licentiae liberiora, quam nostrae. de Orat. III. 38.

§. 2.

Alia causa, cur Plauto difficilius crediderim, haec est, quod mentiri*) saepe, saltem verum reticere argumento cogitur; ex quo, ut persona quaeque moribus suis convenienter agat**), necesse est, ut gloriosum hominem vane, fraudulentum ficte, insanum stulte, incultum imperite loqui faciat. Ad quae si quis animum non sedulo advertat, ei accidere potest facile, ut falsa pro veris accipiat. Itaque oleum atque operam perdideris, si quaeras, quinam fuerint campi Gurgustidonii, qui milites Sycolatronidae: (Mil. Glor. I. 1.) quod oppidum Eleusipolis in Arabia: (Persa IV. 3, 37.) aut ubi situs fuerit portus Persicus? (Amphitr. I. 1, 248.) quem postremum pro mari Euboico dici Festus propterea non recte opinatur, quod ne velocissima quidem navis una nocte inde ad Teleboas vehi potuisset. Sed haec et similia, ut Peredia et Perbibesia (Curcul. III. 74.) nusquam fuerunt gentium, et vanorum hominum sunt commenta, mendaciis suis veritatis speciem certis istis nominibus conciliantium. Porro mera fraus est, quod advocati in Poenulo (III. 3, 51), ut lenoni imponant, subornatum militem in exercitu Attali, Spartanorum regis, fuisse perhibent, cuius nominis nullus rex unquam Lacedaemone regnavit. Sed consulto id fingitur, ut mures illi Africani (Poenul. V. 2, 51.), quos pro pantheris olim dictos fuisse Lipsius in Electis II. 4. frustra contendit. Talia innumera Plautus non ad veritatem, sed ad personarum ingenia accommodate finxit; quae si quis vera existimet, eum non minus incassum torqueri oporteat, quam grammaticos illos, quos Tiberius ineptis suis quaestionibus cavillatus fuisse a Suetonio c. 70. narratur. Quare etiam hominum, insaniam simulantium,

---

*) In qua re Ciceronem adsensorem habeo, qui illud facetiarum genus, quod re, tanquam aliqua fabella, tractatur, etiamsi habeas vere, quod narrare possis, tamen mendaciunculis adspergendum esse contendit. de Oratore II. 59.

**) Donatus ad Terent. Eunuchum III. 1, 42. disciplina est, inquit, Comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba adscribere ridiculis imperitisque personis.

sermones non ad amussim exigendi sunt, sed in aegrae mentis somniis numerandi, quippe quibus, utpote ab insanis profectis, non semper commoda sententia subest. Quare qui talia certa ratione definire velit,

Ni ilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
(Horat. Serm. II. 3, 271.) *)

Id olim ob immortali Moro, cum ad interpretandos daemoniacorum in N. T. sermones accingeretur, bene admonitum memini, et a Salmasio ad Menaech. V. 2, 101. recte observatum est; quanquam ibi vocabula: *Cygno prognatum patre*, aliter atque ille intelligo. Neque multum ab insania abhorrent somniantium visa; quare nec ea ad vivum resecanda sunt, ut illud in Rudente III. 1, 12., ubi aliquis narrat, se per somnium respondisse: *natas ex Philomela atque ex Procne esse hirundines*; quod utrique feminae simul tribui confusae mentis indicium est, alterutram autem a variis auctoribus pro fontium mythologicorum diversitate modo hirundinis, modo lusciniae matrem dici satis constat (vid. Heynii Observatt. ad Apollodorum p. 331.). Denique, quod ad personarum imperitiam attinet, eius rei exemplum praebet recensio regum Syracusanorum ab Erotio in Menaechmis II. 3, 58. facta, quam in muliercula facile excusandam esse, Gronovius ibi recte statuit: aliud adolescens in Cistellaria II. 1, 39., qui Opem Saturni facit aviam; quem errorem, risus gratia confictum, ipse poeta statim sub persona Melaenidis corrigit: aliud Vulcanus, qui in Epidico I. 1, 32. armorum Achillis ab Hectore captorum fabricator falso perhibetur. Neque

*) Veruntamen super eiusmodi locis, auctoris voluntate sensu carentibus, nonnisi omnibus rationibus subductis et expensis pronunciandum esse sponte apparet, et demonstratur exemplis multorum locorum, quibus criticorum ἀκρίβεια commodam sententiam vindicavit, veluti illis verbis Aristophanis in Avibus 1377., quae quamvis Kusterus cum Scholiaste de industria obscurata esse dixisset, illustris tamen Beckius continuationem interruptae orationis esse perspicue docuit. Conferantur quae idem de verbis v. 929 sq. positis dixit.

vero ubique poeta fictae stultitiae et ignorantiae ipse monitor est, sed notandam eam et ridendam relinquit spectatorum sagacitati; velati illud in Bacchidibus IV. 9, 14, quod servus quidam bustum Achillis cum Palamedis tumulo confundit. Itaque in hoc genere cautum oportet esse interpretem, ne suae stultitiae testes domestico praeconio colligat. Fieri enim quandoque potuit, ut poeta ex aliis, quam seriores scriptores, fontibus narrationes et fabulas quasdam hauriret. Cuius rei vestigium reperisse mihi videor in Menaech. I. 2, 35., ubi de Adoneo a Venere rapto sermo est; quam rem ceteri scriptores ignorant, pariter atque illam de Libertate fabulam, quae nunquam pedem voluit in navem cum Hercule una imponere. Rud. II. 6, 5. Nam quod in Epidico III. 2, 80. Peliam a Medea non concoctum solum, sed etiam ex sene adolescentem factum esse dicit, id nescio utrum antiquam forsitan famam cum Cicerone (Cat. Mai. c. 23.) secutus potius fecerit, an duas fabulas ridiculi causa consulto confuderit. Quotiescunque igitur in Plauto in eiusmodi locos incidimus, ubi aliquid contra, quam verum et honestum est, dicitur, non praecipitandum est iudicium, neque de persona poetae, aut seculi illius scientia vel moribus perperam statuendum, sed videndum, an tales sententiae ingenio eius, quem dicentem facit, accommodatae sint, et tenendum Plutarchi praeceptum, ut ea, quae absurde dicta a poetis sint, refutemus iis, quae in contrariam partem ab iisdem dicantur. (de audiend. poet. p. 76. ed. Hutten.)

§. 3.

Sed alia causa, quae Plauti fidem dubiam reddit, haec est, quod Graecos atque Romanos mores miscuit*). Quae quidem res, etsi per se laudanda non est, ei

---

*) Nempe in ipsis fabulis, non in prologis, de quibus idem valet, quod Westerhovius de Terentianis prologis ait ad Hecyr. Prol. v. 25. Utut ficta in fabulis omnia, prologus tamen Romane cum Romanis loquitur.

tamen consilio, quo fabulas suas composuit, nulli detrimento fuit. Imperita enim multitudo, quae maxima spectatorum pars erat, eo, quod in palliata comoedia Romanorum aut dii, ut Iuno Lucina, Aulul. IV. 7, 11. deus Fidius, Asin. I. 1, 8. Laverna, Aulul. III. 2, 31. Fontinalis et Liber, Stich. V. 4, 17. Fortuna Obsequens, Asin. III. 3, 126. aut magistratus, ut Dictator, Trin. III. 2, 69. Tresviri, Amphitr. I. 1, 3. Magister curiae, Aulul. I. 2, 29. et similia, ut porta Metia, Casin. II. 6, 2. Sutrium, Ibid. III. 1, 10. Comitium, Poenul. III. 6, 12. et plura huiusmodi Curcul. IV. 1, 9—24. commemorabantur, adeo offendi non poterat, ut absque ea Latinarum rerum cum Graecis comparatione ipsam fabulam ne intelligere quidem potuisset*); peritiores autem ex ista deliberata rerum aut locorum confusione novam ridendi capiebant occasionem. Nobis autem, qui non voluptatis solum, sed doctrinae quoque gratia Plautinas fabulas legimus, dici non potest, quantopere illa poetae inconstantia et quasi fluctuatio veri cognoscendi difficultatem augeat. Etsi enim Plautus ceteris poetis, qui primi sua ingenia Graecarum literarum luminibus accenderunt, eo praestat, quod fabulas Latinas non ad verbum, ut Ennius quidem, Pacuvius, Attilius, de Graecis expressit, sed magno Romanarum literarum incremento, quia semper citra veritatem est similitudo, Graecos comoediarum auctores negligentius imitatus est (vide Terent. Andr. prol. 20.), ita quidem, ut accepta ab aliis mutaret, explicaret (Gell. III. 3.), multa per se inveniret et argumenta fabularum Romanis ingeniis accommodaret; tamen quoniam rei gerendae scenam in Graeciam transtulit, personisque suis non Graeca solum nomina, sed saepe etiam mores affinxit, multis in locis

*) Hanc consuetudinem alienis institutis vicina suae gentis affingendi nomina, ob varios variorum populorum mores retinere omnes coguntur, qui de rebus peregrinis exponunt: historici tamen cum minori veritatis periculo, quam poetae, quippe cum illis interpretari singula et uberius exponere liceat, hos vero in mediam et quasi praesentem rem introducere oporteat lectores spectatoresve.

difficillimum explicatu est, utrius gentis mores atque instituta poetae animo quovis in loco maxime obversata sint *). Nam quod passim ea, quae Latina sunt, barbara appellat, id non satis est ad caetera pro Graecis habenda, quae maximam partem Romanis moribus adeo conveniunt, ut mutato tantum nomine, id quod res est, fabula de iis narrari videatur. Sed quoniam saepissime non certo constat, utrum poeta dissimulationis suae memor fuerit, nec ne; sponte apparet, quanta cura atque cautio iis adhibenda sit, qui ex illis fabulis eruere atque illustrare Romanas antiquitates velint. Ceterum quid et quantum poeta Graecorum auctorum debeat imitationi, nunc maxime, cum fontes, unde haurire potuit, toti paene exaruerint, definiri nequit. Sed quidquid illud fuerit, praeter simile argumentum et characteres comicos, sane parum fuisse, nos persuasissimum habemus, et cuique facile intelligetur, qui paucos istos locos, quos Plautus in Trinummo e Philemonis Thesauro expressisse eruditissimo Hermanno videtur, inspicere animum induxerit. Itaque cum in omnibus, quae supersunt, fabulis, quinque tantum numerentur, quarum auctores Graecos secutum se esse poeta ipse fatetur, Asinariae Demophilum, Casinae et Rudentis Diphilum, Mercatoris et Trinummi Philemonem: duae autem, quarum Graeca saltem nomina commemorat, Alazonis et Carchedonii: cumque reliquarum quatuordecim nullum nominet Graecum exemplum, haud dubie aeque bona fide fassurus, si, quae imitaretur, habuisset; plus quam simile vero est, poetam felicitate ingenii sui maxime fretum, proprio Marte pleraque invenisse et suo rem egisse remigio. Quod vero poeta non incorrupta

---

*) Non fugit ea difficultas brabeutas illos Hafniensis academiae, qui anno 1811 proposito praemio super argumento his verbis concepto certari voluerunt: „Fabulis Plautinis et Terentianis cum sana crisi et subacto iudicio perlectis enucleetur artis comicae apud Romanos ratio, ita inprimis, ut pateat, quid in utroque hoc auctore theatro Romano proprium sit, quid a re dramatica Graecorum desumtum." Sed, utrum et quo modo ista quaestio soluta fuerit, ignoramus.

Latini sermonis integritate usus est, sed Canusini more bilinguis, Graeca vocabula Latinis interposuit *), id mihi non solum ideo fecisse videtur, ut fabulis suis maiorem graecitatis speciem conciliaret, sed etiam partim necessitate temporum suorum, quibus Latini sermonis inopia et rusticitas Graecae orationis urbanitate et copia augeri et ornari solebat, partim impulsus auctoritate elegantium virorum, qui erudito quodam fastidio sermonis vernaculi incorruptam integritatem contemnebant; quam ut suae aetati restitueret Tullius, ambitiose sed frustra adseverare conatus est, linguam Latinam locupletiorem esse, quam Graecam. de Finib. I. 3.

§. 4.

Haud pauci vero loci legentium oculis occurrunt, qui poetae paullo leviorem animum atque incuriam earum rerum produnt, quas observare eiusmodi artificem utique decebat. Quam aliam causam existimem, cur fides verbis eius non temere habenda videatur. Non semper enim poetam sedulam navasse operam, ut, quae fingeret, vero essent similia, multis exemplis doceri possit. Nos paucis defungamur. In exordio Mercatoris adolescens, primas in ipsa comoedia partes acturus, fabulam eam esse confitetur, quod quam parum attentioni spectatorum excitandae inserviat, iam Muretus intellexit, et recte reprehendit. Nec melius consulitur illusioni, cum prologus in Poenulo, nulla urgente necessitate, *ego ibo*, inquit, *ornabor*: *alius nunc fieri volo.* Sed excusatius contra istam illudendi legem peccaret poeta in prologis, qui pro segregatis ab argumento sermonibus habendi, et partim aliorum auctorum sunt, si non in idem vitium in mediis incurreret fabulis. Magnopere autem corrumpitur *τὸ ἔμπαιγμα*, ubi in medio actu vel spectatores compellantur**), ut in Mercat. I. 2, 48. II. 1, 43.

---

*) Exemplo Livii Andronici, quem Suetonius de illustr. gramm. propterea *semigraecum* vocat.

**) De quo more dramaticorum poetarum digna est quae legatur doctissimi Blümneri disputatio in: Leipziger Kunstblatt Heft. VI. n. 2.

Cistell. I. 2, 27. IV. 2, 9. Amphitr. III. 4, 15. Mil. Gl. III. 2, 48. IV. 3, 38. Mostell. I. 3, 123. III. 2, 19. Poenul. IV. 2, 99. Trucul. I. 2, 12. II. 6, 1. Pseudol. I. 5, 149. 160. IV. 7, 136., vel aliqua eorum ratio habetur, ut in Poenul. III. 1, 47. 51. et 2, 20. V. 4, 54., vel denique mentio fit comoediae et comicorum, ut in Mil. Gl. II. 2, 213. Casin. V. 4, 27. Amphitr. III. 1, 8. et 4, 4. Captiv. IV. 1, 11. Poenul. III. 2, 4. Pers. IV. 2, 4. Pseudol. IV. 8, 3. Haec ita comparata esse, ut fabulae fidem elevent, in promtu est, neque credibile, poetam, qui fidem summae totius operis parum muniverit, de singularum partium veritate nimis fuisse sollicitum. Quod si qui aliorum poetarum exemplo factum esse dicant, ut Terentii in Hecyra V. 4, 26., aut Aristophanis, spectatores vel alloquentis, in Avibus v. 30. et 1102., in Nubibus 518., vel digito monstrantis in Nubb. 1096. et seq., in Ranis 795. 981. 987., vel gratiam eorum captantis, in Equitibus 36 — 29., in Acharnen. 512., ii meminerint, non semper recte fieri, quod exemplo fiat, sed quod recte fiat, id esse probandum. Aliud poetae *παρόραμα* satis ridiculum in Amphitruone deprehendimus, ubi Sosia et Mercurius introducuntur iurantes per Herculem, qui secundum fabulae argumentum nondum natus esset (cf. Voss. Instit. Orat. V. c. 7.). Neque vero id nihil offensionis habet, quod scenae in Graeciam translatae immemor Graeci sermonis facit interpretem, ut in Trucul. I. 1, 60. *Phronesium, nam Phronesis est sapientia;* quem quidem versum me non prohibente pro insiticio inducas, etsi ille veterum poetarum consuetudine interponendi rerum expositioni nominum interpretationem defendi potest (de qua re consule Clar. Weichertum in libello: C. Valerii Flacci Argonauticon liber octavus. Misenae 1818.); quodque in Poenulo IV. 2, 80. *sexennem* puerum appellat, quem in prologo 65. *septuennem* dixerat. Sed hoc etiam solutae orationis scriptoribus accidit, ut sibi in rebus fictis non constent (vid. Fischer. ad Xen. Cyrop. II. 4, 2.), neque adeo in veris, maxime in locorum hominumve nominibus, quae diverso modo scribi e numis,

lapidibus et libris constat *); quidni idem poetis facere licuerit? qui ut in aliis rebus, ita in nominibus etiam propriis variare solent. Sic verbi causa in Amphit. prol. 99. Electrus dicitur pro Electryone, ut Terentius Hecyr. I. 2, 6. eandem mulierem modo appellat Philotium, modo Philotidem. Cuius moris, apud Graecos etiam obvii, exempla dedit Hemsterhusius ad Lucian. Tim. p. 157.

§ 5.

Accedimus ad aliam causam, quare de Plauti fide merito dubitari possit, repetendam illam quidem e vitae, quam coluit, ratione. Etsi enim de natalibus eius nihil certi atque explorati habemus, id tamen ambigi nequit, poetam, nisi servus fuerit, certe aut infimo loco natum, aut nullo numero in civitate habitum fuisse. Hoc inde verosimile fit, quod poetarum generi, quod olim in Graecia sanctissima existimatione floruerat, illo tempore apud Romanos adeo nullus honor fuit (Cic. Tusc. Qu. I. 1.), ut plerique primorum poetarum, Livius quidem, Caecilius, Terentius, servi fuerint; quodque Plautus in comoediis servorum ingenia atque mores tam graphice depinxit, ut hoc maxime vivendi genus usu penitus cognitum habuisse videatur. Nam quod civis Romani Marci Attii nomen gerit (Mercat. Prol. 10. Asin. Prol. 9.), id potest a domino manumissus, cui fortasse etiam primam ad poesin institutionem debebat *), accepisse; quemadmodum Terentium Suetonius refert a Terentio Lucano senatore ob ingenium et formam non modo liberaliter institutum, sed et mature manumissum esse. Sed licet ingenuus esset, nullis tamen maioribus ortum,

---

*) Hanc *διττολογουμένων* consuetudinem, a viris doctis parum observatam, saepe non tam corrigendi, quam corrumpendi texta occasionem dedisse, recte monuit Mazochius in Commentariis in regii Herculanensis musei aeneas tabulas Heracleenses. P. I. p. 70.

*) Nam, si in rebus obscuris divinare licet, potuit L. Attius, nobilis ille poeta, qui non longe post Plautum floruit, eiusdem familiae filius fuisse, in qua servivit Plautus, atque ab hoc in faciendis versibus eruditus, vel uterque a patre familias ad poeseos studium excitatus esse.

non solum e Minucio Felice apparet, a quo nullius loci homo Plautinae prosapiae appellatur; sed exinde quoque, quod mercaturam faciebat, rem illo tempore satis contemtam: cuius infelici successu opibus exutus haud dubie sese in pistrinum non dedisset, nisi inde aut olim exiisset, aut parum se dedecoris tracturum existimasset. Atqui tenuis ista vivendi ratio, quemadmodum poetam haud dubie ad scribendum impulit, quod de se ipso Terentius (Phorm. prol. 20.), de Simonide Phaedrus (IV. 21, 2.) narrat, atque utique effecit, ut poeta magnam cum vulgo contraheret familiaritatem, quae eum maxime idoneum redderet ad scribendas comoedias, hoc est, ad vitae privatae et vulgaris imaginem tenui oratione imitando proponendam: in qua arte, praesertim cum ingenii excellentia, exercitationis assiduitas, et Graecorum exemplarium imitatio accederet, facile praestare potuit: ita impediit etiam, quominus iis artibus inficeretur, quibus ingenia ad magnum fortunae cultum educari solebant. Proinde ubi de veritate rerum, a Plauto propositarum, disputatur, semper quaerendum est, ad quod scientiae genus eae pertineant. Si tales erunt, quarum cognoscendarum facultas illius temporis vulgo quoque parata fuit, et ex literarum, quas Seneca serviles appellat (de Tranq. c. 9.), thesauro promtae, nihil causae erit, cur dubitemus; sin contra, non temere et festinanter iis fides erit adiungenda, sed videndum, ne nimiam tribuas poetae auctoritatem, si in eius tanquam magistri verba iurare audeas.

§. 6.

Ut igitur cum Xenophane Colophonio loquar, et quid putem, non quid contendam, proponam, opinor rerum, quarum notitias e Plautinis fabulis haurire velis, tria facienda esse genera: unum earum, in quibus etiam vulgus satis erat versatum; alterum earum, quas non nisi liberalius educati bene callebant; tertium earum, quas docti iuxta cum ignarissimis illa aetate facile nesciebant. Ac primum quidem genus paucis licet absolvere. Huc enim referuntur opiniones vulgi de natura,

providentia et veneratione deorum: tum omnia, quae de cultu victuque hominum eorumque probis vel improbis moribus dicuntur: porro commemoratio artium, quas plebs Romana, vel servi adeo, veluti medicinam (Solonis legibus servis interdictam, Hygin. fab. 274.), exercebant: deinde puerorum educandorum et instituendorum disciplina*): denique etiam vetera proverbia, in quibus vulgus habitat, quaeque antiquae sapientiae praestantissima sunt documenta. Harum rerum omnium Plauto, propter exactam, qua pollebat, earum notitiam, tantam fidem habebo, quantam iis habeo, quibuscum in tenebris micare velim.

§. 7.

Sed ad alterum genus doctrinae, e Plauto repetendae, pergimus, quod cernitur in iis rebus, quas non nisi liberalius educati callere poterant. Hic autem mihi errare videntur inprimis ii, qui in fori Romani antiqua consuetudine e Plauto illustranda satagunt. In quo negotio, si caute versabuntur, sane non ludent operam; sed male providi temerarii adsensus poenas dabunt. Nam cum illo tempore iuris divini et humani prudentia ab ingenuis tantum et nobili loco natis, quique rem publicam capessituri erant, a cuius administratione Plautus, ut plerique poetae, alienissimus fuisse videtur, disceretur; cumque doctrinae illius praecepta neque in libris neque in scholis traderentur, sed ex usu fori et quotidiana cum clarissimis iureconsultis consuetudine ab adolescentibus pedetentim et observando essent percipienda, credibile non est, Plautum, omnia alia agentem, in ea disciplina longe ultra vulgus sapuisse**).

---

*) Quod proprium servorum munus fuisse tralaticium est, et veteri Livii Andronici exemplo confirmatur, quem eundem scenicae apud Romanos poeseos parentem Livii Salinatoris, heri sui, liberos erudivisse, Hieronymus in Euseb. Chron. ad olymp. 148. testatur.

**) Hoc alius Romanorum poetae comici, Luscii Lavinii, exemplum illustrat, qui, narrante Terentio in Eunuchi prologo, in fabula Thesauro appellata, contra omnem naturam et iuris

Quapropter in eiusmodi locis, ubi de iure agitur, magna cautione opus est, ne temerario et inconsiderato iudicio aut formulas, quibus Plautus utitur, aut regulas, quas sequitur, communi iureconsultorum usu receptas et civitatis auctoritate comprobatas fuisse statuamus. Cuius rei luculentum in libello super lege barbarica exemplum proposuimus*). Nunc aliud afferamus. In Poenulo (I. 1, a versu 42.) adolescens, lenonem fraude circumventurus, iubetur villicum suum cum auro ad lenonem, quis esset ignorantem, ut noctem ibi duceret, mittere: tunc ipse adire lenonem et rogare, servusne suus ad eum venerit: quod si ille, alium quaeri existimans, negaverit, extemplo futurum, ut leno dupli fur sit, et cum non habeat, unde pecuniam, poenae loco solvendam, conficiat, eundum esse in ius, ubi praetor totam familiam adolescenti addicturus sit. O praeclaram rempublicam, in qua non vixisse poeniteat, ubi homines, quibus nec animus furandi fuerit nec insidiarum sibi factarum levissima suspicio, quibusque adeo Adrastea ipsa ignoverit, furti damnabantur! Apparet igitur, haec contra fori Romani iustitiam pugnare, et ex illo loco, cum Act. III. 1, 60—62. comparato, id unum haud dubie colligi, Plauti tempore evanuise illam cum lance et licio furtorum quaestionem, legemque Aebutiam, si quid ea duodecim tabulis derogaverit, iam tum latam oportuisse; dupli vero poena affectos fuisse homines, alienae fraudi non malitiose, sed praeter suam opinionem et voluntatem affines**), non certo inde potest colligi, neque omnino verisimile est***).

---

consuetudinem, reum prius causam dicentem introduxit, quam petitorem.

*) Aliud vide in Ferculo IV. ad Mostellar. V, 1, 40—45.

**) Nam conatum quidem delinquendi punitum fuisse a Romanis docuit Fridericus Cropp, in commentatione, de praeceptis iuris Romani circa puniendum conatum delinquendi. Heidelbergae 1813.

***) Quae Clar. *Puchta* in libro: *Civilistische Abhandlungen. Erlangen* 1823 pag. 7. contra nos disputavit, ea facile refutari possunt. Nequaquam enim statuimus, Plautum nullam habuisse legum atque iurium notitiam, quod vel iis fabularum locis, in

§. 8.

In tertio vero genere praeter alia numeraverim inprimis rerum historicarum, quibuscum geographia arcte coniuncta est, scientiam; quarum aliae memoriam Plau-

quibus ad legem Plaetoriam (Pseudol. I. 3, 69.) legem Cinciam (Festus voc. muneralis lex) et ad statum cum hoste diem Curcul. I. 1, 5. respicitur, refelli queat: neque etiam scripsimus, quod ille falso dixit, in rebus ad ius pertinentibus poetam *nullam fidem mereri*; sed hoc contendimus, magnopere cavendum esse, ne poetae, qui in iuris disciplina non longe ultra vulgus sapuerit, temere assentiamur. Vulgus autem intelligimus non ex toto rudem, sed illiteratam tamen multitudinem, quae ut semper caret subtili artium liberalium scientia, ita quoque juris accurata peritia, sive eam in legibus, sive in actionibus legitimis reponas. Itaque idem vir doctissimus haud recte statuisse nobis videtur, e nostra sententia sequi plane contrarium: „*Umgekehrt liegt gerade darin, dass der Dichter seinem grossen Publicum diese rechtlichen Beziehungen hingeben konnte, ein Beleg für die Befreundung des Volkes mit seinem Rechte.*“ Quae verba satis ambigua, si recte intelligo, hoc significant: eo quod poeta in scena de iure locutus sit, effici, plebem cum iuris notitia contraxisse quasi intimam familiaritatem. Quae quidem argumentatio quam probabilis sit, alii viderint. Equidem satis credo, non ignorasse plebem leges duodecim tabularum et quasdam etiam regias a. u. 366 in vulgus editas; novi etiam a Cn. Flavio scriba a. u. 449 civile jus, h. e. certas et solennes agendi formulas, fuisse evulgatum, fastosque, quibus tempus lege agendi indicaretur, circa forum in albo propositas; sed idem scio, patricios, ut in possessione iuris manerent, novas composuisse formulas, quas Sex. Aelius Catus demum a. u. 522 cum populo communicavit. Harum vero formularum multitudo, subtilitas et rectus ad vincendam causam usus peperit artem iurisprudentiae, quam cum Plauti aetate post Tib. Coruncanium docti viri profiteri coepissent, non opus fuit plebi perfecta iuris scientia; imo, quod in nostris quoque civitatibus usu venire solet, factum est haud dubie, licet Puchta id audacter neget, ut multi cives Romani, plebeii maxime, iuris Romani privati publicique essent plus minusve ignari. Sed omnino non est, quod Puchta mecum contendat, quippe cum in eo mecum plane consentiat, quod solum affirmare volui: propriam patriciorum iuris scientiam ad subtiles illas et perplexas in foro agendi regulas attinuisse. Itaque persto in mea sententia, fori Romani consuetudinem cum magna cautione e Plauto esse repetendam; quem aliis curis occupatum iuris civilis regulas non penitus didicisse et, quas tenuerit, risus faciendi gratia consulto interdum immutasse et confudisse mihi longe est verisimillimum. Enimvero suo gladio

tinam antecesserunt, aliae aequarunt*). Ac rerum quidem ante Plautum gestarum memoria inter Romanos non solum per se fuit satis exigua, sed, quod maximum

---

iugulare Puchtam possumus. Nam quod ille dicit, ipsum ius nulli civium potuisse esse ignotum, id plane repugnat eius sententiae in dissertatione V. *Ueber die Perioden in der Rechtsgeschichte* propositae. Ibi enim p. 179. secundam facit periodum a promulgatis duodecim tabulis ad finem usque liberae reipublicae, dicitque: „das praetorische Edikt ist als das Mittel anzusehen *das anwachsende Recht* für die Erkenntniss nicht auf- aber festzuhalten. — Aber die blosse Verzeichnung konnte den unermesslichen Stoff *nicht dem Volke zugänglich, nicht fasslich machen.*"

Quod vero ad illusionem, quae vocatur, attinet, (de qua §. 4. egimus) qua intelligimus assimulatae veritatis speciem, quam per omnes fabulae partes spectatorum animis ab histrionibus obiiciendam esse statuimus, cum ea ad sensuum referatur arbitrium, suam cuique licet habere opinionem. Ac nostram quidem sententiam gravissimi defendunt auctores, e quibus brevitatis causa satis erit unum citari Blümnerum, qui in libro: *Leipziger Kunstblatt* inscripto, (n. 79. anno 1818) super ea re cum alia doctissime disseruit, tum haec scripsit: „*Der Schauspieler soll sich in jedem Momente bewusst seyn, dass er vor Zuschauern steht, aber dies Bewusstseyn darf nie merkbar werden.*" et ad Plautum proxime respiciens: „Wo das wirkliche Leben den Inhalt darbietet, nicht eine selbstgebildete Welt geschildert wird, möchte sich der Dichter aller solcher Mittheilungen (de alloquio spectatorum agitur) zu enthalten haben." Itaque cum ego poetam violatarum artis regularum non temere accusasse mihi videar, iudicent alii, an Plauto a me contumeliosius facta sit iniuria, quam est a Puchta mihi, cui ille malam poetae tractationem hoc nomine exprobrat. Quam enim ille iocandi irridendique appetitionem (humorem nescio quem nostrates vocant) Plautinae licentiae praetendit, ei non tantum potestatis concedendum esse censemus, ut nihil iuris cum ratione habeat, ad quam omnium artium cognitionem, praeceptionem et usum regendum esse nemo facile negaverit.

*) Sed inveniuntur etiam in Plauto res longe post aetatem poetae in civitatem Romanam introductae, veluti quae in Amphitruonis prologo de dissignatorum instituto commemorantur, quarum auctores cum sint prologorum interpolatores, videndum utique est, ne ex eodem fonte, quem Osannus in Analectis criticis (Berolini 1816.) clare demonstravit et scite expurgare conatus est, nonnulla quoque proficiscantur, quae in ipsarum fabularum cursu lutulenta fluunt: in quibus tamen non omnia numeraverim, quae Osanno suspicionem moverunt.

est, incerta valde atque dubia, innumerisque fabulis implicita: quas quidem sero veritati locum fecisse, inde potest coniici, quod historiam a Latinis literis sua ipsius aetate abesse Cicero dicit. Licet igitur lecti fuerint a Plauto Fabii Enniique Annales, fortasse etiam Catonis libri, quibus illo ipso tempore antiquitas illuminari coepta est; satis tamen incertam inde doctrinam hauserit. Quae vero Graeci memoriae prodiderunt, ea, praeter rerum gestarum scriptores, vix quemquam illius aetatis Romanum civem in tanto historici studii neglectu cognovisse plus quam verisimile est. Hinc in eam adducor sententiam, ut quae Plautus extra Romanum imperium olim eventa commemorat, ea Graecis poetis, quos imitatus est, sublegisse eum existimem; quorum quidem periculo quid et quantum peccaverit, cum illorum poetarum scripta perierint, difficillimum exploratu diiudicatuque est. Sui autem temporis memorabiles res, quibus gerendis ipse non interfuerat, etsi poeta propter scenae usum haud dubie studiose indagaret, et ob multorum hominum, utpote mercator, commercium facile comperiret, tamen pro aetatis illius publicarum literarum negligentia maximam partem audiendo tantum et confabulando accipiebat; quae quidem rerum gestarum, in sola memoria conservandarum et ore hominum propagandarum ratio, ut tuendae veritati omnino non utilissima est, ita plurimum de fide derogat, quando, quemadmodum fluminum aquae, quo longius prolabuntur, eo magis alienis rebus admixtis proprium saporem amittunt, sic narrationes, e remotioribus terris per multorum hominum ora transmissae, facile immutantur. Quae causa fuit, cur Terentius, iam doctis, quas reliquit, fabulis, quo Graecorum instituta moresque accuratius perciperet, in Graeciam abiisse a Suetonio dicatur. Quod utrum a Plauto quoque factum fuerit, nec ne, ignoramus quidem, sed non absimile vero putamus, siquidem ille mercaturae gratia peragravit civitates Graeciae Italicas, quae ipsius aetate praeter Magnam illam, proprie sic dictam, extendebatur per utrumque Italiae litus, in supero mari ab Adria Piceni usque ad Leuca Sallentinorum promontorium, in

infero ab Rhegio ad Cumas (vid. Mazochi p. 44.). Quid? quod illo tempore, quo a. u. c. 540. praecipuae Italicarum civitatum libertatem amittebant, et Romanae coloniae eo deducebantur, expeditum erat in ipsa urbe Romana cum Graecis commercium. Rerum igitur historicarum notitias, a Plauto exhibitas, cum iis, quas alii scriptores memoriae prodiderunt, accurate comparandas esse censemus, si verum invenire volumus: iis autem, quorum solus ille auctor est, inprimis cum obiter aliquid commemorat, non temere assentiendum esse, sed singula diligentius excutienda, ut reperias, quid verisimillimum videatur *).

Sed quae hactenus de liberalium artium recondita eruditione, quam Plauto defuisse censemus, probabiliter disputavimus, haec neutiquam eo valere volumus, ut nulla poetae fides habeatur, sed ut caute tantummodo et circumspecte talium rerum testimonia ab eo repetantur. Quis enim fieri potuisse negaverit, ut Plautus aut simili gauderet opportunitate ac Terentius, quem Scipionis Laeliique sapientia in scribendo adiutum fuisse tralaticium est? vel Euripides, qui Cephisophontem, nescio quem, adiutorem habuisse commemoratur? (Aristoph. Ranae 971. ibique Schol.) aut fabulas antequam ederentur, amicis quibusdam peritioribus (si quidem ille

*) Quod cum negligeret Salmasius in loco Poenuli III. 3, 80. 81., factum est, ut Antiochum oculis aegrotasse opinaretur. Sed errasse eum facile demonstratu est. Primo enim non agitur ibi de morbo aliquo, sed de hospitio, ubi corpus molliter curetur, i. e. cibo, potu, somno aliisque deliciis oblectetur; eodem plane sensu, quo apud Aristophanem duo Athenienses Upupam adeunt: *εἴ τινα πόλιν φράσειας ἡμῖν εὔερον, ὥσπερ σισύραν ἐγκατακλιθῆναι μαλθακήν.* Quam curam corporis Milphio comparans oculis, ab Antiocho curari solitis, quid quaeso, aliud, significare velle videtur, quam nimium Antiochi in cute curanda studium? Pro toto autem corpore oculos nominavit, respiciens fortasse morem illum veterum Asiae populorum oculos venustatis conciliandae gratia fuco pingendi (v. Xenoph. Cyrop. I. 3, 2. ibique interpp.). Quid? quod ipsius Antiochi nomen pro quovis luxurioso homine positum censeo; ut adeo non certo inde efficiatur, hanc fabulam scriptam esse tempore illo, quo Antiochus (tertius s. magnus) regnaverit.

mos adeo vetustus fuit) emendandi gratia recitaret? Nam quod Aedilium censuram attinet, eam, quia immodestas facetias et deorum irrisiones intactas praeteriit, sententiarum veritatem nullo modo respexisse mihi persuasum est; quippe quorum unice interfuisse videtur, curare, ut populi otium eiusmodi fabulis oblectaretur, quae virtute sua comica maxime placerent.

II.

DE NATURA RIDICULI ORATIO.

In commentatione, quam Porphyrius in Aristotelis Categorias scripsit, ubi ea, quae rebus propria sunt, quadripartito dividit, quartam facit classem eorum, quae ita propria sint, ut certo cuidam generi uni, toti et semper contingant, eiusque rei exemplum affert hominis ridendi facultatem. Quo quidem exemplo vereor, ut philosophus ille acuti ingenii et limati iudicii clarius potuerit documentum edere. Etsi enim inter reliqua animalia reperiantur, quae non corporis solum, sed animi quoque aliqua cum homine gaudeant similitudine; ridendi tamen facultas ita homini propria est, ut eam cum nulla bestia partiatur. Neque illud minus verum est, id toti generi contingere: in quo si qui inventi sunt, qui Heraclitum imitantes nunquam vultum suum ad hilaritatem composuerint, eos ridere noluisse facile concedimus, non potuisse vero vel Crassus negaverit, qui quod semel tantum in tota vita sua risisset, propterea *ἀγέλαστος* appellatus est. Semper denique id proprium esse homini ex eo apparet, quod cum ingravescente aetate saepe aliae vires et corporis et animi defetiscant, ridendi tamen vis in senibus quoque viget, quorum haud paucos cum risu atque ioco e vita excessisse memoriae proditum est. Quodsi igitur risus adeo humanus est, ut nihil magis proprium homini esse possit, mirari licet, cur de natura eius facultatis ad hunc usque diem paucissimi probabilia afferre, nemo omnibus ad veritatem persuadere potuerit. At enimvero eius rei cum multae aliae causae sunt, cuivis rerum abstrusarum et reconditarum inquisitioni communes illae quidem, tum potissimum duae praecipuae et plane sin-

gulares: altera quidem, quod nihil omnium rerum, vel maxime diversarum inveniatur, in quo non possit ridiculum versari: altera, quod res per se ridicula non modo omnibus, sed ne iisdem quidem hominibus semper ridicula videatur. Accedit difficultas a linguarum ambiguitate obiecta, ex qua vocabula cognatae similisque significationis non magis a vulgo, quam a doctis etiam viris permutantur; veluti in hoc genere cum ridiculo confunduntur et ioci et sales et facetiae et lepores et cavillationes et contumeliae adeo atque irrisiones: quae placent quidem omnia et admirationem aut ingenii, aut doctrinae, aut benevoli quoque animi movent, per se vero ridicula non sunt, sed risum tantum excitant, nec aliter, quam si in aliquod ridiculi genus inciderunt. Ubi enim de ridiculo quaerimus, non id scire cupimus, quo modo alios ad ridendum commode perducamus, sed quid illud ipsum sit, quod per se et necessario risum praecocem illum et celerrimum moveat. In quam quidem rem cognitu et explicatu difficillimam, et a multis florentissimi ingenii viris vario successu tractatam, si meam quoque philosophandi operam, hanc publice dicendi opportunitatem nactus, in praesentia conferre studuero, existimare vos velim, AA. id non superba et nimia ingenii mei confidentia, sed ideo fieri, ut si quid forte subtilius iudicavero, in eo operae pretium fecisse videar: in quo vero erravero, eius paratiorem excusationem inveniam.

Quoniam autem omnis de ridiculo disputatio ita comparata est, ut sine causarum et generum expositione natura rei plane perspici nequeat, tria mihi video in hac quaestione praestanda esse: ut primo de natura, tum de causis, denique de generibus ridiculi dicere persequar. Ac statim a principio totius quaestionis oportet accuratum veri investigatorem considerare, quid inter personam, quae ridet, et id, de quo ridetur, differat: huic enim ridiculi nomen convenit, illi vero risum tribuimus. Iam vero ut aditum ad cognoscendam ridiculi naturam nanciscamur, necesse est ante omnia videre, quid homini, quando ad risum solvitur, accidere soleat. Haud dubie

enim ridentis animus iucundo laetitiae sensu permulcetur. Neque vero is sensus aliter in risum abit, nisi si animum vehementius commovet et latera adeo, os, venas, vultum, oculos occupat. Quoniam autem vehementior illa laetantis animi commotio repente ac celeriter exoritur, necesse est, ut cogitatio, unde ea efficitur, praeter exspectationem animum invaserit. Sed quae non opinantibus eveniunt, ea nec credibilia, nec vera putamus. Itaque hoc argumento colligimus, ridendi materiam esse quamlibet cogitationem, quam ideo falsam habemus, quod cogitationibus, quas de eadem re mente hactenus alueramus, repente repugnare videtur, vel ut brevius dicam, improvisam rei alicuius cum se ipsa repugnantiam. Quidquid igitur tale est, ut subito aliud appareat et contra quam exspectare iure potueramus, id risum facit, idque meritissimo; quandoquidem nihil magis humanae rationis legibus adversatur, quam ut id, quod esse credis, eodem tempore etiam non esse credas. Quodsi tamen res aliqua incidit, quae talem naturae suae repugnantiam prae se fert, in manifesta eam deprehendimus stultitia et a recta ratione declinare merito arbitramur. Atqui haec causa est, quae nos inducit, ut, facilioris praeceptionis gratia, ridiculi naturam magis populari definitione in eo ponamus, quocunque nostra de aliena prudentia opinio repente fallitur. Cuius nostrae sententiae veritatem, in profundo adhuc demersam, antequam in lucem proferamus, animadvertere vos volumus AA., alienam et remotam esse ab hac disputatione omnem honestatis rationem, quippe quae ad cognoscendam ridiculorum naturam adeo nihil momenti habet, ut, quod quidem periculum facientibus apparebit facile, reperiantur, qui sanctissimas quoque res ridere possint, atque etiam soleant: et quamvis nec pietatem in Deum hominesque, nec ullam partem morum bonorum laedere velint, rideant tamen. Est enim tota quaestio nostra cognitionis, non vero actionis; in qua cum quaeramus, quid sit risus et quibus causis efficiatur, cumque statuamus proficisci eum a mente cogitante, non appetente: elucet, in quantam perturbationem rem coniiciant ii, qui

vel Platonis, Ciceronis, et Hobbesii auctoritate turpitudinem ad ridicula referant, vel contra ex illis finibus omnino exsulare velint. Ridentes enim sola stultitiae cogitatione tenentur, ad turpitudinem neutiquam respiciunt; quod simulac faciunt, risus in dolorem, indignationem, commiserationem, saepe etiam in lacrimas convertitur. Itaque nos omnem ridiculorum materiam in mentis cogitantis vitio reponimus, quam, ut in disserendo breves esse possimus, venia vestra, AA., imprudentiam sive stultitiam appellamus. Ac prudentia quidem in eo cernitur, ut aliquid cum ratione fiat, eique, quod quis propositum habet, consilio convenienter agatur. Quae virtus, a ratione profecta, ita soli homini, hoc divino munere ornato, propria et germana est, ut nulla re quisquam se hominem esse clarius demonstraverit, quam si prudenter et loquendo et agendo meliorem suam naturam explicaverit. Itaque cum omnium hominum mentibus innatam esse istam prudentiae vim recte iudicemus, ad quamcumque rem aliquis accingitur, in ea illum prudenter versaturum esse merito exspectamus, et si forte acciderit, ut aliquis praeter spem nostram pro sapiente stultum se ostenderit, ridendi nobis occasionem datam esse arbitramur. Hanc vero de aliena prudentia opinionem cum ridendi materia arctissimo vinculo esse coniunctam, nec ullo modo ab ea separari posse, inde elucet, quod ii homines, qui mentis laborant insania, omnino nullum debent aliis ludibrium; at qui non carent utique rationis usu, sed parum tamen et raro sapiunt, modice tantum et non facile deridentur. Nam quod pueri insanos quoque homines derident, id eadem de causa faciunt, ob quam propter improvisas et mirabiles brutorum animalium actiones, vel rerum adeo inanimatarum repentinos casus saepe cachinnari solent; aut enim ignorant, rebus illis nihil cum ratione commercii intercedere, aut, quod phantasiae in illa aetate maxime vigentis ludibrium est, affingunt iis aliquam quasi rationem, eaque re hoc ipsum, quod volumus, confirmant, non posse risum aliter locum habere, nisi ubi aliqua prudentiae alienae praecesserit opinio. Comparate, si

commodum est, AA., cum hac nostra sententia, quaecunque vobis occurrant, rerum ridicularum exempla, et videte, an ullum deprehensuri sitis, a quo illud absit, in quo ridiculum, tanquam in suo cardine verti contendimus. Sive enim sermo sit, ob quem ridetis, sive actio hominis, sive res humano consilio instituta, nonne his omnibus, ut ridere possitis, inesse oportet hoc vitii, ut aliquid contra prudentiam aut vere peccatum sit, aut peccatum saltem videatur? quo vel absente, vel non observato nulla ridendi datur opportunitas. Inde duo eveniunt: primum, ut dum sagacioris ingenii homines ob imprudenter aliquod dictum vel factum risu paene diffluant, stupidi tardique nihil moveantur, risumque caeterorum composito vultu admirentur: alterum, ut homines, ad risum alioquin valde proclives, in summa aliorum stultitia, quae antegressa prudentiae opinione caruit, non ad hilaritatem provocentur, sed gravissimo taedio paene enecentur. Id quod probe intelligentes acutioris ingenii poetae comici, quorum opera in exagitanda hominum stultitia unice occupari solet, diligenter caverunt, ut non magis viris constantis sapientiae, quippe a comoedia plane alienis, fabulae aliquam partem tribuerent, quam absolutae stultitiae reos in scenam producerent. Sed eo utuntur temperamento, ut sapiens semper insano adsideat, et qui extremae sint stultitiae, sapientiam saltem prae se ferant: qui vero recte sapiant, stultitiam tamen omnino evitare nequeant. Sed, ne uno ridiculi genere iudicii nostri veritatem stabilire velle videamur, in animum inducite, AA., scurras illos et urbanos homines, qui id agunt, ut sermones ipsi suos et mores, totum denique victum atque cultum aliis deridendum propinent, et dicite an hoc alio modo efficiant, nisi eo, ut excitatam prudentiae suae suspicionem a se repente segregent, et dum vitia quaedam vitare videntur, in contraria incurrant. Eodem artificio nititur etiam quorundam pictorum lascivia, qua portentosis imaginibus, quas Plinius monstriferas appellat effigies, quasque in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducunt, hominum mores ludificare conantur; quod quidem

consilium ita consequuntur, ut fingant vel naturae veritatem cum manifesto errore coniungi, vel recta et bona consilia inepto modo peragi, vel rebus, per se neutiquam vituperandis, accidere aliquid, quod sapienter instituti rationem repente turbet et evertat. Cuiusmodi pictorum opera, quum in eo maxime elaboret, ut ea, quae contra naturam et consuetudinis veritatem fiant, valde expressis et grandibus figuris describantur, quo magis cum ceteris picturae partibus dissentiant, exorti sunt nonnulli, qui in hac ipsa rerum compositarum dissensione et repugnantia ridiculi naturam quaererent. Quae rei propositae definitio, etsi a veritate non omnino abhorret, quandoquidem in ridiculo est utique quod repugnat; tamen propterea improbari debet, quod nimis late patet illa quidem. Nam non omne, quod repugnat, ridiculum est, sed quod sibi ipsi et ita repugnat, ut idem videri et non videri velit. In quo cum summa vertatur stultitia, nos illam, quam investigamus, ridiculi naturam reponimus in opinata prudentia, eamque primam ridiculi partem non in quaestione solum, sed in ipsa re, esse statuimus. Quod adeo verum est, ut ne illorum quidem exempla, qui a stultitia ad sapientiam repente deflectunt, sententiam nostram refellant. Nam si prodigum parce, ignavum fortiter, temerarium caute subito ac celeriter agere videmus, ob id ipsum ridemus, quod, quum insanos etiam cum ratione insanire velimus, in his hominibus spe nostra et exspectatione repente destituimur. Atque in hac repentina opinionis nostrae fallacia consistit altera pars ridiculi. Nam si exspectatio non fallitur, sed ordine omnia et pro natura cuiusque rei procedunt, non potest fieri, ut risus aliquis exoriatur. Quare comoediarum auctores hanc legem diligenter observant, ut vel stultissimi homines non perpetuum faciant stultitiae suae praeconium, sed ex intervallo resipiscant, et post factam sanioris mentis spem et exspectationem denuo ad ingenium suum redeant. Hac enim sola ratione efficitur, ut vehementioris illius gaudii affectus non languescat, et ad finem usque fabulae, in hac perpetua inter sanitatem et stultitiam fluctuatione, ridendi materia non

deficiat. Ut rem clarius intelligatis, AA., reputate, quantas nugas agant illi homines, qui facetiarum artificium vel vulgo atque publice, vel inter amicos profitentur. Nonne illis, quoniam fallere nesciunt, et priusquam iocularia vel dixerunt, vel fecerunt, gestu et habitu significant, se ridicula meditata, nec ex tempore ficta, sed domo allata missuros esse, et facie magis quam facetiis ridiculi sunt, multi saepe sales diu ac frustra consumendi sunt, donec praesentibus risum aliquem extorqueant? Sed qui se philosophos simulant, et severitatem vitae et ingenii prae se ferunt, eorum repentinas facetias risus et cachinnus sponte sequitur. Quemcunque enim ad risum impellere volumus, eum oportet falli, idque repente et ex improviso. Nam quum risus nihil aliud sit, quam animi tanta tamque effrena laetitia, ut angustis pectoris finibus includi nequeat, sed per vultum atque spiritum foras erumpere gestiat: omnis autem animi affectus re provisa et praemeditata obtundatur potius, quam incendatur et acuatur, in promtu est, non posse hominem ad ridendum commoveri, nisi animum suum nimia laetitia uno quasi impetu perfusum sentiat. Inde fit, ut risum, qui repente accidat, ne sapientes quidem et austeri homines possint opprimere: quem vero fore praeviderint, leves etiam et iocosi facile retineant. En vobis evolutam ridiculi notionem! — Nam quod imprudentiam illam, de qua ridemus, alienam diximus, id fecimus consentientibus haud dubie omnibus, qui didicerunt rem, quam cogitant, a mente cogitante distinguere, eamque ita ab animo seiungere, ut quasi extra eum posita videatur. Neque omnino refert, quod interdum nos ipsos ridemus: ubi enim hoc fit, solemus nos a nobis ipsis tanquam diversos cogitare: vel quod de rebus ridemus rationis munere carentibus. Nihil enim est, quod prudens homo ad rationis regulas non administrari velit. Quamvis igitur innumerae figurae sint, quibus id, quod ridiculum dicitur, apparere et auribus oculisque illudere solet; tamen si a sensuum consuetudine aciem mentis abducere, eamque in veram vim et naturam eius rei intendere voluerimus, inveniemus, eam semper

in eo consistere, quod ita accidit, ut nostra de aliena prudentia opinio repente fallatur.

De qua quidem re, ut vobis, AA., plane persuasum fiat, aliud mihi et haud paullo difficilius negotium superesse video, ut in causas inquiram, quae animum tanto gaudio afficiant, quanto eum in ridendo deliniri sentimus. Nam si ridiculum errore tuo et stultitia aliena nititur, mirari sane licet, quid iucunditatis inesse possit rebus, quae per se vanae, inutiles et inhonestae sunt, ideoque bonis et sapientibus viris omnino indecorae. At enimvero tantum abest, ut sani hominis animus eiusmodi fraude sibi facta et aliena stultitia capiatur, ut earum rerum cogitationem celeriter fugiat, in se descendat, et suorum bonorum possessione unice gaudeat. Data enim qualibet ridendi occasione, duo sunt, quae animum maxime commoveant, stultitia alterius, et incommodum, quod eam necessario et fere semper e vestigio sequitur. Quae mala sive seorsim sive coniunctim animo obversentur, non possunt non insigni laetitia afficere eum, qui se ab iis liberum, contrariis vero bonis ornatum repente intelligit. Observata igitur alterius stultitia, nos utique sapientiores eo iudicamus, vel propterea, quia, si eodem loco fuissemus, prudentius egissemus, vel quia exemplo eius moniti cautius acturos fuisse saltem opinamur, vel quia omnino stultitiam eius intelligimus, quod acutioris ingenii haud dubium documentum est. Iam vero, si fas et consentaneum est, laetari homines quorumlibet bonorum suorum cogitatione, quid impediat, quominus sapientiae et virtutis, quae merito in summis bonis numeramus, conscientia delectemur, et, ubi ea repentino casu in animum incurrit, in risum adeo exsolvamur? Plurimum enim interest, rideri id quod acciderit, et hominem cui acciderit; quod postremum ut merito inhumanum habetur, ita illud a humana natura divelli nequit, neque vero etiam abesse debet. Emergit enim in eo, qui ridet, divina vis intelligendi veri et decori: quae ut quisque studiosissime curat et totus in iis est, ita maximo afficitur gaudio, quum veritatem, interposito errore, clariori luce ex-

splendescere videat; neque adeo is tam suae sapientiae sensu, quam ipsius veritatis pulcritudine, mirifice delinitur. In quo quidem loco coecutivisse doleo sagacissimum Addisonum, qui quum recta via ad inveniendum ridiculi domicilium proveheretur, ubi ad hunc itineris flexum et viarum quasi divortium venisset, plaustrum perculit, et pro laeta prudentiae conscientia, superbiam posuit; in quam si laetitia illa innocens, et nulli humanitatis officio repugnans, transiit, facile intellectu est, non ridere nos amplius, sed deridere; quae res non minori discrimine differunt, quam homines, quorum alter suis gaudet bonis, alter aliorum malis delectatur. Sed aliam ridendi causam, AA., accipite hanc, quod humana stultitia semper cum aliquo periculo aut vitae, aut valetudinis, aut opum et fortunarum, aut famae et honoris, aut aliorum bonorum coniuncta est. Quae quidem bona quum hominibus merito curae cordique sint, quis non ex animo gaudeat, quum videat se immunem eius periculi, quo alienae felicitatis pars pessumdatur? Id quod nequaquam contra honestatem est: quandoquidem natura sic instituit, ut in repentina fortunae inclinatione suae quisque salutis primam rationem habeat, secundam vero eorum, quos proxime ad se attinere putat. Ridiculi enim ratio ad animum humanum fere eadem est, quae naufragium facientium ad eos, qui in tuto litore stant. Nempe quemadmodum iis suave est illorum spectare laborem, non quod gaudent alios vexari, sed quia haud exiguam voluptatem parit cernere quibus malis ipse careas: ita aliorum stultitiam deprehendere et incommoda inde oriunda salvos intueri, non illorum, sed nostra causa gratum et iucundum est. Exinde intelligitur, cur de stultitia eorum ridere non possimus, quos salvos esse volumus, et cur boni homines, qui nihil humani a se alienum putant, hac altera de causa non facile rideant, idque eo minus, quo magis animum etiam ad subita rerum exercitum habent. — Ac videte, AA., an ex iis, quae hactenus disputavimus, omnino clarum fiat, cur alii aliis ad risum promtiores et expeditiores inveniantur. Ut enim quisque maxime aut falli poterit, aut

sua prudentia confidet, aut externis bonis gaudebit, ita facillime ridebit. Quae animi affectiones quum in sapientem minus cadant, apparet, cuius generis illi homines videri debeant, qui ex multo risu cognosci posse perhibentur.

Utcunque igitur exposita ridiculi natura et declaratis eius causis, restat, ut ad id, quod in tertio quaerendi loco posueramus, veniamus, et varia ridiculi genera indicemus accuratius, eaque e communi, quem indicavimus fonte derivari et ad eandem normam exigi debere demonstremus. Sed video rem iam in eum locum deductam, ubi ipsa illa dumeta nascuntur, e quibus planum atque expeditum inveniri posse exitum vel acutissimi viri dubitarunt. Quorum quidem in iudicando subtilitatem et in decernendo auctoritatem etsi interposita mea sententia convelli nec spero ego quidem, neque sane postulo; tamen quoniam ei, qui in commune venit deliberantium consilium, turpe est indicta sententia discedere, meam quoque orationis partem salva modestia persequar. Licet autem rerum ridicularum campus tam late pateat, ut nec fines eius ex uno loco undique prospici, nec singuli fructus certo numero comprehendi possint; tamen ab accuratis speculatoribus possunt discerni regiònes, in quibus omnis illa seges nascitur. Proficiscitur enim ridiculum vel a casu fortuito, vel a rerum natura, vel ab hominibus. Iam quod casum ad genera ridiculi referimus, id facimus propterea, quod nihil magis in humanis rebus ludit, quam fortuna. Quo quidem lusu quum saepissime fallatur exspectatio nostra, crebra a fortuna suppeditatur ridendi materia. Est enim casus per se ipse ridiculus, quia, non ut cetera, quae ridentur, a certa ratione aberrat, sed rationis plane expers et quasi ratio sine ratione est. Itaque nos homines, omnium rerum idoneas rationes quaerentes, ubi aliquid sine ulla, aut certe verosimili ratione accidere videmus, non possumus, quin rideamus, quoniam fefellisse nos existimamus nostram de continua sufficientium causarum serie opinionem. Esse enim istam causarum continuationem non a sola mentis nostrae conformatione suspensam, sed

extra nos positam et a se ipsa pendere, omnes communi opinione existimamus, et quaecunque ea vis sit, quoniam sibi non constare, sed deserere sese videtur, ridendam ducimus. Huc pertinent fortunae ludibria et praestigiatorum fraudes et tota cohors artium, quae magicarum nomine comprehenduntur, quibus refertae sunt aniles fabulae et musica comicorum opera, et narrationes, quae hominum fata et facta ad incredibilem quamlibet admirationem augendo minuendove efferunt. Alterum vero ridiculi genus eorum est, quae a rerum natura proficiscuntur. Licet enim natura pro divina ratione, quae toti mundo aeque ac singulis eius partibus inserta est, tantum ab omni vitio absit, ut nulla reperiri possit melior certiorque ad veram sapientiam disciplina, quam diligens eius et adsidua contemplatio; tamen ea nonnunquam talia oculis obiicit, in quibus intuendis vulgus sibi a risu temperare nequit. Quo magis enim insignis et conspicua est naturae in omnibus rebus veritas et constantia, eo acrius movemur, quum contra leges, ab ipsa promulgatas, aliquid quasi peccatum videmus. Qua in re puerili utique exsultamus protervia, qui in sinu gaudent, quum in magistro aliquid animadvertisse sibi videntur, quo nomine eum in ordinem possint redigere. Hinc risui opportunum est, quidquid natura in rebus gignendis, formandis, administrandis, conservandis contra leges suas, ab hominibus observando repertas, facere aut fecisse deprehenditur. Solet enim humani ingenii tarditas eo, ad quem semel adsuevit modulo, metiri omnia; cui si qua minus apta reperit, ea non alia, sed nulla lege et per errorem evenire arbitratur. Cuius generis errores tanto plures deprehendere imperita multitudo autumat, quanto minus naturae solertiam et varietatem in inveniendis, fingendis et moderandis rebus perspectam habet. Nolo, AA., vestram attentionem detinere commemorandis eius rei exemplis, quae suae cuique pueritiae recordatio multa et illustria suppeditabit, quum festinandum mihi sit ad tertium ridiculi genus, homines intelligo, e quorum vita, tanquam e campo fertilissimo, tanta efflorescit et redundat ridiculi copia,

ut non mirum sit, si qui his finibus omnem risus materiam comprehensam velint. Ac profecto, quid est, in quo saepius nostra fallatur exspectatio, quam in ipsis hominibus, qui ob naturae imbecillitatem adeo non possunt sibi per omnia constare, ut sapientes etiam non semper defugiant stultitiae suspicionem et opprobrium? Ex quo perenni festivitatis fonte quum comoediarum scriptores infinita et nova semper adspergant nos laetitia, factum est, ut, quod ridiculum esset, eodem sensu comicum diceretur. Nam qui comicum in parte tantum ridiculi reponunt, eos pro arbitrio statuere et propterea errare censeo, quod quidquid in vita ridiculum est, id in imitatione vitae, h. e. in comoedia, non potest non idem videri. Comprehendit igitur hoc genus ridiculi humanos sermones, opiniones, consilia, actiones, opera, instituta, mores; quae quidem omnia ac singula quum longum sit vel summatim explicare, liceat mihi exemplis sermonum ridiculorum defungi, quibus ostendetur, haud dubie vera esse, quae de universa ridiculi natura statuere conatus sum. At hic loci cavendum maxime est, ne verba illa, quae ex ambiguo, ex *παρονομασίᾳ*, per translationem, per inversionem, per dissimulationem intelligenda, aliisque modis argutissime et facetissime dicuntur, ipsa per se ridicula existimemus. Rectissime enim Cicero ex iisdem locis fere etiam graves sententias duci posse monuit (de Orat. II. §. 248.). Sermones enim non propter se, sed ob stultitiam, sermonis praesidio patefactam, ridiculos faciunt homines. Id vero quadruplici modo efficitur. Aut enim is, qui loquitur, ipse suo indicio, quasi sorex, suam prodit vecordiam, veluti M. Lepidus, qúum, ceteris in campo se exercentibus, in herba ipse recubuisset, Vellem hoc esset, inquit, laborare. Aut ex alicuius dicterio alterius emergit stultitia, veluti quum Diogenes considens proxime eum locum, quo aliquis imperitus iaculator collineabat, interrogantibus, cur id faceret, Ne forte, respondit, ille me feriat. Aut duo ita sermones serunt, ut ex alterius responso alterius manifestetur imprudentia, veluti C. Laelius, quum ei quidam, malo genere natus, diceret, indignum esse suis maioribus, At hercule, inquit, tu

tuis dignus. Aut denique duorum pluriumve colloquio alius hominis pravitas mentis salse reprehenditur, ut quum Scipio praetor Siculo cuidam dixisset, se illi dare causae patronum hominem nobilem, qui admodum stultus erat, Quaeso, praetor, inquit ille, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis. Habetis, AA., descriptas a me quatuor classes, in quas omnes, quotquot in censum venient, ridiculos sermones referre poteritis; quod ubi feceritis, facile animadvertetis, in summa argute et facete dictorum differentia, eam tamen esse communem omnibus et necessariam vim, ut opinionem vestram de aliena prudentia repente fallant. Quo perpetuo ridiculorum sermonum effectu, si qua verba careant, ea ingeniose forsitan et literate et belle dicta fuerint, ridicula vero appellari nullo modo poterunt.

III.

DE

LOCATIONE CONDUCTIONE

AD

PLAUTI CAPT. ACT. IV. SC. II. V. 38 — 40.

Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
qui locant caedundos agnos et duplam agninam danunt,
qui petroni nomen indunt verveci sectario:

Cum hic locus adeo difficilis et obscurus sit, ut de iusta eius explicatione interpretes fere desperaverint, non iniquum erit vel periculosam et ancipitem curationem ei a nobis adhiberi. Ac primo quidem scire licet, lanios a poeta traduci, ideoque *concinnare oves* neutiquam posse idem significare, quod *mactare;* in quo non facile quispiam probri aut criminis aliquam materiam invenerit. Deinde a dicendi usu valde alienum est, *liberis orbas oves* eas dici, quae prae macritudine et siccitate corporis nutrire agnos et educere non possint. Cui quidem multorum interpretum sententiae Koepkius ideo accessisse videtur, quod putaret in toto loco laniorum fraudulentiam perstringi. Sed hoc nomine illi in duobus sequentibus versibus reprehenduntur; hic vero barbaries et saevitia eis exprobratur, qua assueti non dubitent agnos ab ovium mammis abreptos interficere. Nam *oves orbas concinnare* idem est atque *orbas facere*, *orbitatem iis parare.* Quo significatu Plautus verbum *concinnare* saepius usurpavit.

Porro autem quaeri potest, quid sit *locare caedundos agnos?* in quo neminem interpretum offendisse eo magis miror, quo certius mihi totius loci bene explicandi maximum momentum in verbi *locare* significatione verti videtur. Ac *locare* quidem proprie idem significat, quod *in loco ponere, collocare, dare; conducere* autem idem quod *simul ducere, secum ducere, accipere.* Quae principalis vis vocabuli obtinet in illo Plauti: „si hodie ego te non elinguandam *dedero* usque ab radicibus, impero, auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum *loces.*" Aulul. II. 2, 72. In iure vero civili coepta sunt ista vocabula de quodam genere contractuum usurpari, qui consensu constant, tamque vario modo adhiberi, ut auctorum sententias magnis subinde difficultatibus implicatas reddant. Quocirca non alienum nobis visum est, in illorum vocabulorum vim diligentius inquirere, ut, quid dicendi usui ubique conveniat, recte iudicari possit. Ac quoniam necesse est, ut ante omnia definiatur, quid utroque vocabulo in universum significetur, videtur nobis quidem *locare* nihil esse aliud, quam dare alicui alicuius tui commodi, pecunia aestimati, percipiendi potestatem, cum duplici conditione, ut et potestas illa suo tempore ad te redeat, et ipsum commodum tibi compensetur: *conducere* autem, accipere potestatem tale commodum percipiendi, his conditionibus, ut ipsam illam potestatem suo tempore alteri restituas, commodumque compenses. De quo ubi inter duos convenit, facta est *locatio conductio*, qui est contractus, qui consensu perficitur, de alterius commodo, pecunia aestimato, ab altero aliquamdiu ita percipiendo, ut compensetur.

Itaque locatio conductio tribus partibus continentur: commodo percipiendo, compensatione commodi et consensu contrahentium. Iam vero, quoniam commodum aliquod percipi potest vel ex re, vel e persona, vel ex opere, iureconsulti istam locationem conductionem trifariam partiti sunt, quam iisdem distinxerunt vocabulis; sed hoc mutarunt, quod locationem conductionem, quae personas attineret, operarum appellarent, quandoquidem personas liberales ad operam nobis navandam locari non decet. (Quare videtur

mihi Iac. Cuiacius exemplum illud de iuris professore Observ. II. c. 28. ad explicandam locationis conductionisque vim quasi reciprocam haud commode adhibuisse. Inter magistrum enim et discipulum intercedit contractus non nominatus, ideoque is, qui realis vocatur, do ut facias, vel facio ut des.) Quicunque igitur quo ipse frui possit, alii percipiendum committit, *locator* dicitur: qui accipit, *conductor* appellatur. Ergo in locatione conductione rerum, qui rem, tanquam domum, agros, tabernas, servos, vectigalia, idque genus alia, alicui utenda dat et mercedem accipit, eum vocamus locatorem; qui vero soluta aut solvenda mercede accipit, conductorem. Huc spectat ille Plauti locus: *ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere.* Curcul. IV. 1, 3. Similiter in locatione conductione operarum, is qui se, hoc est operam suam, ut auriga, tabellarius, tibicina, pretio accepto alteri addicit, est locator; qui operis utitur et mercedem solvit, conductor habetur. Eo referenda sunt illa Plauti loca: *quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?* Rud. II. 6, 51. tum, *ego operam meam tribus numis hodie locavi ad artes nugatorias.* Trin. IV. 2, 2. et in Asinaria prol., v. 3. ubi ii, qui solvunt histrionibus mercedem, ut artem exerceant, *conductores* appellantur. Quemadmodum etiam Gellius de ipso poeta nostro ait: *quum ob quaerendum victum ad circumagendas molas operam pistori locasset.* Noct. Att. III. 3.

Neque in hoc duplici locationis conductionis genere uspiam bonis scriptoribus usu venire solet, ut illud locatoris conductorisque discrimen confundant, alterumque nomen pro altero promiscue ponere audeant. Nam quod apud Livium XLII. 19. praetor dicitur locasse aedes instructas, id quomodo intelligendum sit, posterius videbitur. Quo magis mirabile videtur, esse qui statuant, in locatione conductione operis tolli illud discrimen, et utramque personam cum locatorem, tum conductorem solere dici. Quae quidem sententia cum et veritati naturae repugnare, et optimorum auctorum perspicuitatem tollere videatur, existimavi me operae pretium facturum esse, si in refellendo tanto errore paulo studiosius elaboraverim.

Ex duplici enim fonte fluxisse hunc errorem intelligo, quorum primus hic est, quod opus aliquod sine opera cuiusdam personae faciendum curari nequit; quapropter locatio conductio operis ad duo pertinet, nempe et ad id quod faciendum formandumve est, veluti statua, aedificium, vestimentum, et ad operam rei faciendae impendendam. Alter fons erroris in eo constat, quod operis faciendi materiam modo is, qui faciendum dat, modo qui suscipit, suppeditare potest. Quae omnia ut rite distinguantur, ad rem perspicue intelligendam quam plurimum interest. In operis igitur locatione conductione iureconsulti eum, qui rem faciendam praebita materia dat et pro formata mercedem solvit, *dominum operis*, qui materiam accipit et pro mercede efformandam suscipit, *redemtorem operis*, *mancipem*, *susceptorem* vocarunt: hunc *conducere opus*, et *locare operas* illum *locare opus* et *conducere operas* dixerunt. (cfr. Thibaut System des Pandecten-Rechts. II. B. §. 859. et Car. Aug. Haase in commentatione de Opere locato et conducto Romanorum. Lipsiae, 1814. a pag. 7.) Hactenus bene. Sed tum titubare incipiunt, cum ad istam normam singulas res revocare instituunt. Esto quidem annulus ex rudi auro faciendus. Ego, qui materiam do, loco faciendum annulum, tu, qui facis, conducis. An vero tu, qui facis, dicere potes, te locare annulum faciendum, ego, qui do, me conducere? Affirmant iuris periti*). Ego negare non dubito. Etsi enim in redimendo opere nos ambo, e diverso loco spectati, et locatores et conductores sumus; tamen non possumus utrique eandem

*) Monuit me Wenckius meus, Antecessor Lipsiensis celeberrimus, ne committerem, ut iniuriam fecisse viderer iureconsultis, quorum nemo id affirmaverit. Lubens igitur sequor tanti viri auctoritatem, qua eo facilius a mea sententia moveri me patior, cum iam non meminerim, unde illud, quod superius posui, exemplum hauserim. Sed fuisse tamen, qui crederent, ita posse de redemtore operis dici, apparet ex Ascon. Pediani verbis ad Cicer. Verr. I. c. 54., quae haec sunt: „Haec omnia venduntur, si rationi publicae locator sartorum non responderit.“ Sarta enim tecta sunt opus faciendum.

rem faciendam et locare et conducere. Causam eius rei in latini sermonis consuetudine positam reperies; ex qua cum rem faciendam dicunt, semper aliquid fieri debere intelligunt (vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. ed. Bauer. T. I. p. 169.). Est igitur faciendus annulus ipsum opus, quod fieri debet, non opera in annulo faciendo posita, ad quam postremam Latini in eiusmodi dicendi formulis non potissimum respexisse videntur. Quare censeo, neque eum, qui conducat annulum faciendum, etsi locator operarum sit, unquam dici posse locare annulum faciendum; neque eum, qui locet faciendum annulum, etsi conductor operarum sit, unquam dici posse conducere annulum faciendum. Nam opus semper locat dominus, redemtor conducit. Sed age iam nostrae sententiae veritatem exemplis classicorum scriptorum demonstremus. In re igitur facienda, qui locare dicatur, eum semper esse dominum operis, apparet primo ex iis locis, in quibus ipsum vocabulum opus additum est, veluti *opus quod tu HS. DLX. millibus faciendum locasti.* Cic. Verr. I. 55. *ut, quod sit sibi operis, efficeret, locatum.* Plaut. Asinar. II. 4, 37. et *locatur opus.* Cic. Verr. I. 54.; porro ex iis, ubi opus faciendum proprio suo nomine appellatur, ut, *qui maiore pecunia quatuor columnas dealbandas, quam ille omnes aedificandas locaverit.* Verr. III. c. 59. *locum illum sternendum locare.* ad Att. XIV. 15.; denique ex iis, in quibus deest participium, ut, *palam vivorum funera locabantur:* Verr. I. c. 45. In quorum nullo loco possis redemtorem eum cogitare, qui locaverit. Qui quidem usus loquendi, si perpetuus atque constans est, ut nobis quidem persuasum habemus, sequitur in loco Plautino, quem tractamus, *qui locant caedundos agnos*, non apte de laniis dictum videri. Hi enim non opus faciendum locant aliis, sed ipsi conducunt; nec aliis caedendos agnos dant, sed sua manu solent caedere: nec ipsi operis facti mercedem praestant, sed accipiunt manus pretium: nec ipsi caesos agnos sibi habent, sed reddunt iis, a quibus mactandos acceperunt. Ex quo intelligitur, laniorum officia consistere in necessitate faciendae rei, quae non

locatoris, sed conductoris est; ideoque de laniis utique non dicendum videri, ab iis locari caedundos agnos. Sed cum nihil causae sit, cur de verborum Plautinorum integritate hic loci dubitemus, quaerendum maxime videtur, quo iure poeta istam formulam de laniis usurpare potuerit. Ac supra quidem observavimus, faciendi operis materiam ab iis quoque suppeditari posse, qui faciendam susceperint. Quod ubi locum habet, ibi non locationem conductionem, sed emtionem venditionem esse, iuris civilis interpretes pronunciant (vid. Gerard. Noodt. Opp. Omn. T. II. p. 423.). In qua re quamquam haud equidem abnuo, subtiliter eos iudicare et disciplinae suae gratia recte praecipere; tamen a communi antiquorum scriptorum more recedere profiteor. Romani enim *locare* de iis quoque dixerunt, qui ad rem faciendam nihil materiae praeberent, et solam mercedem solverent; *conducere* vero de iis, qui et materiam darent et in ea elaborarent. Quod cum ex innumeris exemplis appareat, satis sit haec pauca protulisse: Cic. Philipp. IX. 7. *ut* (*quaestores*) *eam basim statuamque faciendam et in rostris statuendam locent.* Liv. XXVII. 10. *vestimenta praesenti pecunia locare exercitui* (quod recte explicat Forcellinus sic: *facienda pro exercitu*). Cic. ad Fam. IV. ep. 12. *monumentum ei marmoreum faciendum locarunt.* Horat. Od. II. 18. *tu secanda marmora locas sub ipsum funus.* E quibus locis et similibus clare elucet, veteres emtionem venditionem, propter multam cum locatione conductione similitudinem (quam Noodtius p. 421. ss. sigillatim exposuit), non solum ad idem contractuum genus, ut omnino par est, retulisse, sed priori formae posterioris nomina saepe ita tribuisse, ut eos quoque, qui de re emenda vendendaque inter se contraxissent, aut locasse aut conduxisse aliquid dicerent*). Cui quidem sermonis consuetudini egregie respondet alius Plautinus locus in Aulul. III. 6, 31. *caedundum illum* (*sc.*

---

*) Contra vero etiam venditionem et emtionem pro locatione et conductione dixerunt. Vide Festum s. v. venditio. Cicer. de Offic. I. 42. §. 2. et Haasium in laudata commentatione p. 11.

agnum) ego conduxi. In quo interpretando erravit Lambinus, cum scribendum fuisse putaret *locavi;* quippe qui non satis intelligeret, quod mihi quoque cum scientissimo Gesnero (cui auctoritatem Gronovii, in nota ad hunc locum non recte ad Cuiacium provocantis, suasque observationes II. c. 20. citantis, frustra opposueris) evenit, quomodo Megadorus, non unus e laniorum collegio, sed dives et opulentus civis, opus mactandae ovis conducere potuerit; praesertim cum non haberet amplius istum agnum, sed domum Euclionis, nuptiarum celebrandarum ergo misisset (v. 25.). Verum enimvero Megadorus neque locaverat caedundum agnum, neque conduxerat, eo, qui nunc in iure valet, horum verborum significatu; sed emerat caedundum, i. e qui caederetur: pinguem ergo et bene pastum, non macilentum, qualem Euclio descripserat. Nec movet me quod Euclio subiungit: *tum tu idem optumum est loces efferendum.* Nam in hoc ipso potissimum cernitur lusus poetae, quod verbum *conducere* iubet Euclionem in aliam significationem trahere, in eam, qua locationi, quae in foro dicitur, oppositum est.

Acute igitur vidit Nonius, qui, huius ipsius loci auctoritate usus, verbo *conducere* interpretationis causa substituit verbum *emere.* Quod cum unice verum sit, non dubito verba ista: caedundum illum ego conduxi, ita interpretari: *pactus sum cum lanio, vel quocunque gregis domino, de emendo agno, qui caedatur; quare si ille, quod dicis, macer est, non meam, esd eius, unde emi, culpam accusabis* (Ich habe beym Kaufe ein schlachtbares Lamm bedungen). Sed eadem via inventa quoque est loci, quem tractamus, vera interpretatio. Nam verba illa: qui locant caedundos agnos et duplam agninam danunt, e causis superius dictis, nihil aliud significare possunt, nisi hoc: *Qui paciscuntur de agnis tibi caedendis vendendisque, quos caesos cum praebent, non stant pacto, sed fallunt eo, quod duplam agninam praebent.* Iam vero, quid dupla agnina sit, id scimus iuxta cum ignarissimis. Itaque multum diuque

loco, haud dubie corrupto, medicinam frustra circumspicientes, iam in eo eramus, ut omnem sanationis spem abiiceremus, cum repente mentem nostram subiit coniectura, de facilitate pariter atque verisimilitudine commendabilis. Sublata enim una litera, pro *duplam agninam danunt*, lego: *dupla agninam danunt*. Ex Varrone enim et Pandectis notum est, *duplam* dici etiam pro duplo pretio. Quae vocabuli vis adeo accommodata est nostro loco, ut omnes reliquas nebulas uno quasi ictu discutiat. Admissa enim nostra facili emendatione, hic sensus loci efficitur: *Spondent lanii se tibi caesuros esse agnos suos certo pretio, cum vero caesos exhibent, duplum pretium postulant.* Ex quo simul apparet, in nostro loco lanios trium vitiorum insimulari, in primo versu crudelitatis, in secundo perfidiae, in tertio mendacii.

Sed ut omnis interpretandorum locorum, in quibus de locatione conductione sermo est, expediatur ratio, nec ulla maneat deliberatio difficilis, tres adhuc explicandi loci sunt, in quibus *locare* pro *conducere* positum esse, rem per transennas intuenti, videri queat. Sunt autem hi: Liv. XLII. 19. *decreverunt, ut Cn. Sicinius praetor aedes instructas locaret.* Cic. pro Rosc. Amer. c. 20. *anseribus cibaria publice locantur.* Plautus in Persa I. 3, 80. *ornamenta praebenda aediles locaverunt.* Qui loci ut recte intelligantur, necesse est locationis naturam ex alia parte noscitari. Locare igitur nihil possum, nisi quod meum est, et ad me sive eadem, sive mutata forma redit, meam rem, meam operam, meum opus*). Iam praetores, aediles, aliique magi-

---

*) Schweppe in libro: *das Römische Privatrecht in seiner Anwendung auf teutsche Gerichte.* Altona 1822. 3te Aufl. §. 472. de locatione conductione operis haec ait: Ein solcher Vertrag wird als eine locatio des Unternehmers, nemlich locatio operarum, häufiger aber als eine locatio des Eigenthümers, nemlich locatio operis angesehen, und hiernach der Unternehmer, häufiger aber der Eigenthümer, locator genannt.

stratus, dum aedes instructas, cibaria, ornamenta locabant, nec suas res locabant, nec suas operas, sed rem a se faciendam, h. e. opus suum; quod iam ex addito addendove participio, ut supra docuimus, percipitur. Opus autem duplici modo cogitatur; fit enim vel ex aliqua re, vel in aliqua re. Utrumque rursus duplex est, unde quatuor genera oriuntur: aut opus ex aliqua re mea, ut annulus ex meo auro faciendus: aut ex aliqua re tua, ut vestis e tuo panno facienda (quae proprie emtio venditio dicitur): aut opus in aliqua re mea, ut literarum perferendarum: aut denique opus in aliqua re tua faciendum; cuius postremi generis exempla tribus illis auctorum locis continentur. Nam ut a Plautino loco incipiam, ornamenta illa non aedilium res, sed choragi erant (v. 79. *abs chorago sumito*). Curare autem, utornamentis theatra et ludiones instructi essent, id aedilium, qui ludos dare solebant, opus erat. Hoc opus a se faciendum locabant aediles choragis. Scite igitur Plautus non dixit *locarunt ornamenta*, quod idem fuisset atque *utenda dederunt*, ut loquitur in Curcul. IV. 1, 3. *ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere:* sed ornamenta *praebenda.* Quod ipsum participium in duobus reliquis locis pariter addendum est. (Caeterum Plautum in isto loco non serio, sed per iocum loqui in promtu est.) Id quod de Ciceronis loco in oculos incurrit, in quo etiam mox sequitur: cibaria vobis *praeberi* videmus. Apud Livium autem (qui alio loco XXIII. 48. *conducere et locare praebenda* dicit) supplendum esse *praebendas* patet, cum inde, quod senatus decernere nullo iure poterat, ut praetor *suas aedes* locaret: tum ex eo, quod legatis Romam venientibus non locabantur hospitia, sed publice dabantur; cuius rei curam etiam quaestorum fuisse constat (vide inprimis Valer. Maxim. V. 1.). Tametsi igitur in tribus illis locis et aliis similibus, ubi de locatione operis in aliqua re aliena faciendi sermo est, si vulgi in dicendo negligentiam sequi volumus, verba *locare* et *conducere* permutare licet; tamen, si verum quaerimus, non est ea conductio, sed locatio: nec verbum

istud *locare* vernaculo sermone reddi debet *miethen*, sed *verdingen*. Denique quod attinet ad illum locum in Varrone de R. R. lib. II. praef. *frumentum locamus, qui nobis advehat, qui saturi fiamus, ex Africa;* is est aut corruptus, et ita emendandus, *qui nobis advehatur*, h. e. *ut nobis advehatur:* aut negligenter scriptus, dum, consentiente Gesnero, scribendum erat, *frumentum locamus advehendum.*

IV.

DE

MORBO QUI SPUTATUR

AD

PLAUTI CAPTIV. ACT. III. SC. IV. V. 15—23. ET EVANG. MARCI VIII. V. 23.

Tynd. *Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.*
Ne tu, quod istic fabuletur, aures immittas tuas.
Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem,
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.
Proin' tu ab istoc procul recedas. Heg. *ultro istum a me!* Tynd. *ain', verbero,*
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?
Heg. *Ne verere: multos iste morbus homines macerat,*
Quibus insputari saluti fuit, atque illis profuit.

Quinam ille morbus sit, cuius curandi gratia homines insputatos fuisse Plautus ait, eius rei perplexa et difficilis indagatio est. Etsi enim plerique interpretes epilepsiam intelligi affirmant; tamen non satis idoneas suae sententiae rationes, e Plinio atque Apuleio, in medium proferunt. In Plinio enim, quem gravissimum eius rei auctorem atque testem citant, nusquam dicuntur eo morbo laborantes homines insputati fuisse. Sed in uno loco X. 23., ubi haec sunt: *Coturnicibus veneni*

semen gratissimus cibus: quam ob causam eas damnavere mensae, simulque comitialem propter morbum despui suetum; clare apparet, nihil dici, nisi quod veteres, propter istam de coturnicibus opinionem, ab edendis iis abhorruerint: in altero XXVIII. 4., qui sic habet: *despuimus comitiales morbos*, ipse auctor sibi interpres est, addit enim: *hoc est contagia regerimus. Simili modo et fascinationes repercutimus.* Quod utrumque non inspuendo, sed in terram vel sinum despuendo effici potuisse, veteres haud dubie crediderunt (v. Frommannum de Fascinat. L. 1. P. I. Sect. 3. c. 4). Nec magis luculentum testimonium est, quod ex Apuleio affertur. Is enim in Apologia, ubi de Thallo puero, comitiali morbo affecto, loquitur, vocabulo *despuere* bis ita utitur, ut dubitari nequeat, id aliena potius, quam propria vi usurpari. Nam quo sensu haec dicantur: *Possunt dicere omnes, quid in Thallo despuant*, sequentia declarant: *cur nemo audeat cum eo ex eodem catino coenare, eodem poculo bibere.* In illo autem enthymemate e contrariis: *Imo enim, si audire verum velis Aemiliane, tu potius caducus, qui iam tot calumniis cecidisti. Neque enim gravius est corpore, quam corde collabi: pede potius, quam mente corruere: in cubiculo despui, quam in isto splendidissimo coetu detestari;* propria translatis opponuntur, vocabulumque *despui* idem valet ac *detestari.* Quae aliorum quoque verborum ab eadem origine ductorum, ut *respuere*, *consputare*, *exspuere*, frequens significatio est. Quo pertinet inprimis illud Ciceronis ad Q. Fr. II. 3. *Hora fere nona, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare coeperunt.* Accedit, quod alius morbus, oculorum scilicet, in sacris literis commemoretur, quem Iesus ita levaverit, ut in oculos aegroti insputaret. De quo postea videbimus. Unde patet, illis Plauti verbis, *morbus qui sputatur*, non satis clare certoque describi epilepsiam. Sed ut tantisper concedamus, eam hic loci unice significari, cui non mirum videatur, qui factum sit, ut omnes omnino veteres medici, graeci pariter atque latini, a nobis curiosius consulti, qui de morbo illo fusius breviusve egerunt,

nullam istius medicinae mentionem fecerint, ipseque adeo Galenus, et qui eius vestigia religiose presserunt, Paulus Aegineta, Oribasius et Aëtius, ubi de medicis salivae viribus exposuerunt, hanc eius admirabilem vim summo praeterierint silentio? Num verosimile est, eos aut hunc salivae usum ignorasse, aut vanam istam et superstitiosam medelam fastidivisse et consulto neglexisse? Quos tamen non poenituerit, maxime Alexandrum Trallianum et Serenum Samonicum, aeque inania morbi comitialis auxilia disertius commemorare. Quapropter ego haud temere statuerim, nec credidisse veteres Herculeum morbum saliva tolli, nec insputandi morem istum, qui habetur, utique observasse. De quo postremo Mercurialis quoque (Varr. Lectt. lib. V. c. XI. Venetiis 1588.) dubitavit, causam vero aliquam non magis attulit, quam argumentis demonstravit, morbum insputatum esse epilepsiam *). Quam quidem causam ego nolim in humanitatis quodam sensu reponere, quo ducti veteres, ut omnes cultioris animi homines, ab huiusmodi spurcitie et contumelia longius afuerint. Vincit enim pudorem necessitas, consiliique honestas speciem turpitudinis excusat. Nos vero morem istum obtinuisse uspiam ideo dubitamus, quoniam praeter hunc Plautinum locum, qui satis est ambiguus, nihil ea de re memoriae proditum est. Quid, quod humanae salivae vis non semper et omnino salutaris **), sed noxia etiam et perniciosa habita est, idque inprimis cum in vivum animal inspueretur? Qua de re Galenus *περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων*

---

*) Quare non debebat *Nebelius* in libello *de morbis veterum obscuris*. c. 4. (Sectio I. Giessae 1794. 8.) scribere: *liquidissime et citra dubitationem demonstratum est a Mercuriali — morbum istum apud Plautum occurrentem esse epilepsiam:* nec verborum proprios et translatos significatus confundere, locisque auctorum ad corroborandam suam sententiam ab re alienissimis abuti, cuiusmodi est ille Iuvenalis, Satyr. VII. v. 111.

**) De qua salutari vi in quibusdam externis corporis malis curandis vid. Nuck in Sialographia Lugd. Bat. 1723. p. 52 etc. et Miscell. Med. Phys. Obs. 92. Ann. 3. et Dec. 2. An. 6. p. 428.

δυνάμεως T. I. P. II. p. 137. ed. Basil. ita: *καθ' ὅλην δὲ τὴν οὐσίαν τὸ πτύελον ἐναντιωτάτην* (lege *ἐναντιώτατόν*) *ἐστι τοῖς ἀναιροῦσιν ἀνθρώπους θηρίοις, ὥς που καὶ Νίκανδρος ὁ ποιητὴς λέγει* (in carminibus Nicandri, quae aetatem tulerunt, hoc frustra quaesiveris.) *καί μοί τις ἐπαγγειλάμενος ἐπῳδὴν ἀναιροῦσαν σκορπίους ἐπιδείξειν ἅπαξ εἰπὼν αὐτὴν ἐπέπτυσε τῷ σκορπίῳ, κἄπειθ' ἑξῆς δεύτερον εἰπὼν αὖθις ἐπέπτυσεν, εἶτα καὶ τὸ τρίτον εἰπόντος τε καὶ καταπτύσαντος, ἀπέθανεν ὁ σκορπίος· ὕστερον δ' ἐγὼ χωρὶς τῆς ἐπῳδῆς ἐθεασάμην ἐπὶ τῷ σιάλῳ μόνῳ τὸν σκορπίον ἀποθανόντα*, etc. Idem alii medici, de aliis animalibus, Plinio teste, statuerunt, qui haec refert: *Marcion Smyrnaeus, qui de simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras murinas sputo tradit: item rubetas aliusque ranas: Ophilius, serpentes, si quis in hiatum earum exspuat.* Tantum igitur abest, ut ab eiusmodi *ἐμπτύσει* epileptici salutem exspectarent, ut metuendum iis potius fuisset, ne ipsis, pariter ac venenatis bestiis, saliva noceret, repentinamque mortem afferret. Ubi enim salutaris vis salivae commemoratur, ibi reperimus etiam, eam unguenti et cataplasmatis loco aegrotis corporis partibus fuisse molliter adplicatam *): quando vero temere in solum aut corpus animale deiecta fuit, semper amuleti vicem obtinuit (Cfr. inprimis Plinius ll. cc. et Schurigius in Sialologia p. 161 et 162.). Quae cum ita

---

*) Hunc salivae usum, diu e medicina proscriptum, postliminio nuper redire iusserunt medici Itali, qui medicamenta variis animalium humoribus, et vero etiam saliva, mixta et diluta corpori humano utiliter infricare instituerunt. Quam viam a Francesco Chiarenti patefactam (vide eius Lettera in risposta al'e obbiezioni fatte del Sig. Chiarugi, coll' Aggiunta delle Riflessioni sullo stesso argomento del Sig. Rossi. Firenze 1798.) alii feliciter ingressi sunt, in quibus prae ceteris eminet Valer. Luigi Brera, (vide eius Anatripsologiam. Paviae 1799 et 1800. II. Voll.), de quo Tourdes medicus Montepessulanus (in libello lettre sur les médicaments administrés à l'extérieur de la peau dans les maladies internes, a Pavie, l'an six d. l. Rep. Fr) haec scribit. p. 23.: Nous devons au docteur Brera l'heureux essai de plusieurs médicaments préparés avec la salive.

sint, ut morbo comitiali oppressi curationis causa nunquam insputati fuisse videantur; tamen non dubito, quin in Plautino loco de hoc morbo cogitandum sit. Nam quibus de causis Schmiederus quidem solam rabiem, neque vero epilepsiam significari censet, nempe quod hoc morbo correpti nec insectentur alios, insectarive possint, ut non iubendus Hegio fuerit securitati suae prospicere: nec in loquendo delirent, quare monendus idem non fuerit, ne crederet Aristophontis dictis; eae mihi non satis graves et a re praesenti alienae videntur. Praeterquam enim quod neutiquam repugnat eundem et epilepticum et rabiosum esse, dici quoque potest, licere personis comicis, quando aliis imponere velint, res ad consilia sua accommodate fingere. Quare Tyndarus in id unice intentus, ut Hegionem a colloquio cum Aristophonte abstraheret, pro suis moribus facile fingere potuit, inesse isti homini gravissimos morbos, illa tempestate vix ope humana levandos, ideoque larvarum stimulis tribui solitos (v. 66.) et a Graecis *τῶν δαιμονιζομένων* nomine comprehensos. Nam talia in theatro dicta non videntur ex arte indicanda, neque ad vivum resecanda esse, sed pingui, ut aiunt, Minerva interpretanda, ut voluntatis personae comicae potior, quam veritatis et naturae necessitatis ratio habeatur. Sed eiusmodi excusatione non indigere Plautum manifestum est, quippe qui adeo nihil temere et licenter fingat, ut insignem artis medicae peritiam prae se ferat. Nam quatuor illae affectiones, quas aegroto Aristophonti tribuit, rabies, ardentes oculi, maculae luridae et atra bilis, a veteribus in epilepticis aut seorsim aut simul observatae reperiuntur. Vetustissimi enim medici, qui morborum causas generales ex humorum intemperie derivabant, epilepsiam a pituita maxime deducebant, qua quidem cerebrum, rationis sedem, ita corrumpi statuebant, ut insania oriretur. Hanc insaniam duplicis generis esse volunt: *γίνεται δὲ ἡ διαφθορὰ τοῦ ἐγκεφάλου ὑπὸ φλέγματος καὶ χολῆς. γνώσῃ δὲ ἑκάτερα ὧδε. οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ φλέγματος μαινόμενοι, ἥσυχοί τέ εἰσι, καὶ οὐ βοηταὶ, οὐδὲ θορυβώδεες. οἱ δὲ ὑπὸ χολῆς, πλῆκται καὶ*

κακοῦργοι, καὶ οὐκ ἠρεμαῖοι. Hippocrates de insania. Quod autem ad maculas luridas attinet, earum mentionem facit Plato in Timaeo, Hippocratis in describendis morborum causis atque signis doctrinam amplexus. Verba eius haec sunt (T. III. p. 85 ed. Steph.): *τὸ δὲ λευκὸν φλέγμα διὰ τὸ τῶν πομφολύγων πνεῦμα χαλεπὸν ἀποληφθὲν, ἔξω δὲ τοῦ σώματος ἀναπνοὰς ἴσχον, ἠπιώτερον μὲν, καταποικίλλει δὲ τὸ σῶμα, λεύκας, ἀλφούς τε καὶ τὰ τούτων ξυγγενῆ νοσήματα ἀποτίκτον.* Mox sequitur etiam atra bilis, pergit enim ita: *μετὰ χολῆς δὲ μελαίνης κερασθὲν, ἐπὶ τὰς περιόδους τε τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ, θειοτάτας οὔσας, ἐπισκεδαννύμενον, καὶ ξυνταράττον αὐτὰς, καθ᾽ ὕπνον μὲν ἰὸν, πραΰτερον. ἐγρηγορόσι δὲ ἐπιτιθέμενον, δυσαπαλλακτότερον. νόσημα δὲ ἱερᾶς ὂν φύσεως, ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται.* Idem de atra bile Hippocrates refert in Epidem. VI. 8, 95. *οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασι γίνεσθαι ὡς ἐπιτοπολύ. καὶ οἱ ἐπίληπτοι μελαγχολικοί.* (Quod cum in libro *περὶ ἱερῆς νόσου* negetur his verbis: *τοῖσι γὰρ φλεγματώδεσι, φύσει γίνεται. τοῖσι δὲ χολώδεσιν, οὐ προςπίπτει,* vel inde emergit, eum non Hippocrateum esse, aeque atque illum *περὶ φυσῶν*, in quo sacer morbus non a pituita, sed a flatibus derivatur.) Oculorum denique torporem, rigidum et ardentem obtutum hodienum in caducis hominibus animadverti, planum est. Certum igitur atque exploratum est in Plautino loco epilepsiam describi, quocum conferenda sunt Theophrasti memorabilia verba in Charactere 16., quae sic sonant: *μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι.* In quo quidem loco non solum rabies cum epilepsia coniungitur, verum etiam, quo ea, quae diximus, mirifice confirmantur, non in caducos ipsos, sed in sinum insputatum, idque non sanationis, sed horroris gratia factum esse dicitur. Ut vero in magno errore versantur, qui caducos homines quavis de causa olim insputatos fuisse dicunt, ita ridiculi sunt, qui salutarem eius rei vim exponere studuerunt. In his prae ceteris ludos nobis fecit Wedelius, qui in Exercitt. Medico Philolog. Dec. 4. Exercit. 8. de morbo insputato disertius disputavit, et fictae istius atque superstitiosae curationis vim ita exposuit: *Enimvero*

cum plurimum situm sit in resuscitatione Archei), sub epileptica ecclipsi succumbentis et confligtantis, insputatio inter alia, licet paulo sordida visu, insigne est remedium, ne subigatur a morbo, sed contra audentior insurgat. Est enim si quis alius hic spirituum morbus, quorum averruncandorum et in externis non leve est remedium. — Inde vero et pudore suffusus Archeus secum habitare discit magis et contra morbum magis insurgere. — Nihilominus arbitrari fas est, successisse in insputationis locum perfusionem capitis*

---

*) En tibi manifestum insanae Helmontii sapientiae commentum, quod ille a Paracelso repetitum ita ornavit et amplificavit, ut in obscura physiologorum istius aetatis disciplina Archei viribus omnia generari, mutari et perire dicerentur. Quem vero ipse intellexerit Archeum, non satis certum est, quippe cum sententiam suam perplexis et translatis verbis involverit. Nam in libello, *Archeus faber*, haec ait: Constat Archeus vero ex connexione vitalis aurae velut materiae, cum imagine seminali, quae est interior nucleus spiritualis, foecunditatem seminis continens. — Mox eum appellat generationis fabrum et rectorem. — Mox praesidem, curatorem, rectorem internum finium, in obitum usque; alibi aliter. Attamen verosimile est, eum hoc nomine vim vitalem significatam voluisse. Quos talia cognoscere iuvat, eos ablegaverim ad Paracelsi Opera, Strasburg. 1616. I. Vol. et ad Helmontii Opera, Lugduni 1667; inprimisque ad eiusdem libellos *Archeus faber*, *de ideis morbosis* et *de morbis Archealibus* inscriptos: porro ad Castelli Lexicon Medicum, Norimb. 1682. et ad Sprengelii librum: Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde, in cuius parte tertia p. 372. haec scripta sunt: Eine wichtige physiologische Lehre betrifft ferner den Archeus, einen Daemon, der im Magen das Geschäft des Alchymisten verrichtet, und das Gift von dem Nahrungsstoff in den Speisen scheidet, und ihnen die Tinctur giebt, wodurch sie fähig zur Assimilation werden. Den schärfsten Alchymisten dieser Art hat das Schwein erhalten, der aus blossen Excrementen Nahrungsstoff hervorbringt. — Dieser Archeus, den man auch mit dem Namen Natur belegen kann, nimmt alle Veränderungen eigenmächtig vor, und curirt auch die Krankheit allein. Er hat Kopf und Hände, und ist nichts anders, als der Spiritus vitae, der astralische Leib des Menschen, und ausser ihm giebt es keinen Spiritus im Körper. Eandem rem tetigit Platnerus in quaest. physiol. p. 191.

cum multa aqua frigida, perfusionem aquae salsae, quae utraque Celsus dilaudat lib III c. 23.)*.

Facile igitur intellectu est, veteres, cum comitiali morbo aliquem laborantem viderent, nihil fecisse, nisi ut in sinum vel solum, contagionis effugiendae gratia, despuerent. Quod cum in multis aliis rebus, ut in fascinis et malis ominibus**), in odio et ira***) aequali modo facerent, suscepit consuetudo, ut omnia verba a spuendo derivata, ad quamlibet abominationem, aversationem, deprecationem et fugam rerum malarum transferrentur. Quemadmodum igitur nemo, cum legat illa Catulli: L. 18. *precesque nostras oramus, cave despuas.* et Persii: IV. 34. *et acre despuat in mores.* et Claudiani de Cons. Honor. IV. 403. *Torquati despue mores.* et Tibulli IV. 1, 7. *nec munera parva respueris.* et Terentii Eun. III. 1, 16. *exspuere miseriam*, aliaque innumera †), censebit aliter, quam improprie dicta esse; ita etiam cum morbus insputari dicitur, translata significatio accipienda erit.

Etsi autem verosimile est, in aliis quoque foedis et contagiosis morbis veteres in usu habuisse, ut fastidium suum atque horrorem, quod etiam nunc fit ††), exspuendo

*) Ut verba ista Wedelii a Schurigio p 163. excerpta sunt, facile credi posset, Celsum laudasse inspuendi morem. Sed omisit Schurigius haec: *perfusionem cum multa aqua frigida*, ad quod membrum, ut ad alterum *perfusionem aquae salsae*, illa: *quae utraque*, referenda sunt.

**) Varia de magico sputi usu affert Cornel. Agrippa de occult. philosoph. l. I. c. 51. vide etiam Lotichium in Comment. ad Petron. p. 262.

***) Sophocles in Antig. v. 651. *ἀλλὰ πτύσας, ὡσεί τε δυςμενῆ, μέθες τὴν παῖδ' ἐν ᾅδου τήνδε νυμφεύειν τινί.* Seneca Quod In Sap. N. Cad. Ini. c. I. „Indigne ferebas, quod Cato — voces improbas, et sputa, et omnes alias insanae multitudinis contumelias pertulisset" (cfr. de Ira III. 38.). Petronius p. 58. ed. Lotich. „convocat omnes quaesilarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui iubet."

†) Graece docti recordabuntur illius Euripidei *ἀπέπτυσα* et Demosthenici *καταπτύοντες*.

††) Corayus in nota ad Theophr. l. c. ita: Cette pratique

significarent; videntur tamen comitialem morbum, *εὐφημίας* causa, ista metonymica phrasi prae ceteris indicasse, quod inde coniicio, quia poeta in nostro loco ter utitur demonstrativis pronominibus, *illic* et *eum* et *iste*.

His ita expositis apparebit, quomodo Plautina verba explicanda sint. Ait enim Tyndarus Aristophontem rabiosum esse ex eo morbo, qui sputetur, h. e. qui despuatur, non insputetur. Proinde Hegio eum ultra a se recedere iubet. Qua re ille ad iram provocatus, iniuriam sibi factam, ut irati solent, auget illumque dixisse fingit, opus esse ut ipse insputetur. Quod non refutaturus, sed dolorem eius, a quo sibi timet, quovis modo levaturus Hegio, duplex solatium profert, unum, quod non peculiare ei atque proprium malum accidat, *multos iste morbus homines macerat;* alterum, quod medicina parata sit, *quibus insputari saluti fuit.* Quod postremum non vere dixit, sed verosimiliter; quandóquidem credi poterat, fore, ut saliva, quae alios iuvaret, etiam huic morbo mederetur.

Restat ut fidem superius datam exsolvamus, deque loco illo in Novo Testamento, unde aliquis argumentum pro antiquo insputandi more repetere possit, sententiam nostram breviter ac modeste proponamus. Auctor enim Marcus est, c. VIII. a v. 22. coecum quendam hominem Bethsaidae ad Iesum adductum fuisse, eo consilio, *ἵνα αὐτοῦ ἅψηται.* Iesus igitur eum ante vicum produxit, *καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἐπηρώτα αὐτὸν, εἴ τι βλέπει.* etc.' Hic etsi plane et diserte dici videatur, insputatum fuisse in aegroti oculos; tamen neminem eorum, qui norunt hoc summi fuisse contemtus, contumeliae et irae, ut inter alias gentes*) ita apud

---

superstitieuse, dont on trouve encore aujourd'hui des vestiges parmi le peuple de la Grèce moderne, étoit employée non seulement pour détourner le mal que pouvoit présager l'aspect d'un objet effrayant, mais encore pour prévenir les effects de l'envie. C'est à ce dernier usage qu'Elien fait allusion. V. H. I. 15. voy. aussi Pfeiff. Antiq. Graec. I. c. 61. p. 174.

*) Plutarch. in Apophtheg. *τῷ δὲ Φωκίωνι σιωπῇ βαδίζοντι τῶν ἐχθρῶν τις ἐνέπτυσεν ἀπαντήσας εἰς τὸ πρόσωπον.*

Iudaeos quoque, indicium (vid. Numer. XII. 14. Iob. XXX. 10. Ies. L. 6. Marci XV. 19.), quique honorifice, ut par est, de Iesu existimare solent, a se impetrare posse censeo, ut haec vere accidisse malit, quam commodiori interpretatione eiusmodi turpitudinis suspicionem a viri divini persona removeri. Ac talis interpretationis viam aperiunt nobis loci duo similes, Ioh. IX. 6. et Marc. VII. 33. In illo enim Iesus coeco oculorum usum redditurus haec fecisse narratur: *ἔπτυσε χαμαὶ, καὶ ἐποίησε πηλὸν ἐκ τοῦ πτύσματος, καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ.* Quo in loco cum in terram sputatum, exque saliva collyrium*) factum dicatur, non apparet, cur Iesus simili occasione hanc honestiorem usitatioremque curandi methodum negligere, et ad eam, quae ipsius persona non satis digna videretur, descendere voluerit. Sed ut istam curationis varietatem omittamus, quid faciamus alteri loco? in quo, postquam ab Iesu ad hominem aegrotum, eundem surdum atque mutum, curandum alia facta esse dictum est, haec sequuntur: *καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώττης αὐτοῦ.* Num credibile est, eum in os aegroti insputasse? quo quidem modo serpentes occisas fuisse Ophilius apud Plinium perhibet; an ex saliva factum esse unguentum, idque linguae illitum? quod haud multo magis, quam illud de oculis placiturum credo. Quid igitur fecisse Iesus videtur? In terram despuit, opinor, et manu linguam muti hominis tetigit. Nam in toto Iesu corpore, maxime vero in eius manibus, non in ulla medicamentorum virtute, posuisse eius discipulos et aequales salutarem illam vim, attentos sacrarum literarum lectores fugere non poterit, et vel ex eo apparet, quod aegrotorum cognati et amici fere semper nihil aliud, quam rogarunt, ut tangeret aegrotantem, vel manus ei imponeret. Id cum in hoc Marci loco v. 32. commemoratur: *καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν, ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα:* tum in superiori, de quo quaerimus, v. 22. *καὶ φέρουσιν αὐτῷ τυφλὸν, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν, ἵνα αὐτοῦ ἅψηται.* Utrobique

*) De quo multa collegit Wetstenius ad Ioh. IX. 6.

Christus, quod rogatus erat, fecisse dicitur; illic enim scriptum est: *ἥψατο τῆς γλώττης αὐτοῦ*, hic *ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ*. Praeterea in eo quoque haec duo loca conveniunt, quod Christus, antequam aegrotum tangeret, exspuisse dicitur. Sed ita discrepant, ut ex nostri loci primis verbis non appareat, cui corporis parti manus fuerint impositae. Quas quidem aegrotis partibus haud dubie fuisse admotas, vel inde coniici possit, quod idem de oculorum morbo in loco Iohanneo, de aliis alibi refertur, quodque homines aegroti sic facilius ad spem sanationis erigi poterant. Quum vero v. 25. dicatur: *εἶτα πάλιν ἐπέθηκε τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ*, necessario efficitur, idem iam semel factum fuisse. Unde equidem arbitror ad verum ambigui loci sensum inveniendum paratum esse auxilium. Nam vel levissima interpunctionis mutatione Marci verba sic legenda videntur: *καὶ πτύσας, εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, ἐπηρώτα αὐτὸν, εἴ τι βλέπει; cumque exspuisset, manibus eius oculis impositis, interrogavit eum, an quid videret.* Sic spurcus ille insputandi mos plane evanescit, honestissimique omnium, qui fuerunt, viri auctoritate frustra defenditur. Nec magis eum confirmat Tacitus, cuius ex Hist. IV. c. 81. haec verba citantur: *Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua eius (Vespasiani) advolvitur, remedium coecitatis exposcens gemitu, — precabaturque principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento.* Nam vocabulo *respergere* non indicari vehementem salivae impulsum, sed lenem oculorum unctionem, sequentia declarant: *Statim conversa ad usum manus, ac coeco reluxit dies* *). Itaque hic locus Taciti

---

*) His postremis Taciti verbis utendum est ad explicanda Suetonii verba, a quo c. 7. haec brevius narrantur: *restituturum oculos, si inspuisset:* et Dionis, qui in Vespas. c. 8. sic habet: *τοῦ δὲ τοῖν ὀφθαλμοῖν προσπτύσας* etc. Sed si vel maxime concesserim, Alexandrinum illum hominem id, quod verba sonant, a Vespasiano petiisse; tamen non sequitur, talem inspuendi morem in usu fuisse. Possunt enim ab humili et abiecta adulatione profectae

isti Iohanneo similior est. Sed quaeri tamen potest, qua de causa salutis nostrae servator in sanandis aegrotis ante manuum impositionem exspuere nonnunquam solitus fuerit? Cuius quidem rei etsi incertum indicium est, tamen dicam, quod sentio. Nempe ut ille, qui ex errore imperitae multitudinis pendet, in magnis viris non est habendus, ita eum, qui vanas, sed innoxias vulgi opiniones omnino contemnit et aperte impugnat, non inter prudentes felicesque plebis magistros numerandum esse existimamus. Quod Christus optime perspectum habens, cum in aliis sese ad vulgi opiniones accommodavit, tum in hoc quoque, ut in curandis aegrotis, ad spem recuperandae valetudinis confirmandam, medicorum mores imitaretur; in quibus etiam illam exspuendi consuetudinem fuisse, cum aliunde satis constat, tum maxime Plinio auctore probatur, qui in libro XXVIII. c. 4. post verba superius allata, ita: *Eadem ratione terna despuere deprecatione, in omni medicina mos est, atque* (lego *itaque*) *effectus adiuvare.* Utrumque autem quandoque Christum fecisse, ut et despueret, et deprecaretur, e Marci c. 7. elucet, ubi non solum dicitur: *καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώττης αὐτοῦ*, sed additur etiam: *καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐστέναξε,* quae quidem manifesta deprecatio est.

---

esse illae preces, quibus, quippe illiberalibus, non respondisse imperatorem ex Tacito clare demonstrari potest.

V.

SUPER
LEGE BARBARICA
AD
PLAUTI CAPT. ACT. III. SC. I. V. 32 — 35.

In explicandis comicorum poetarum antiquis fabulis nihil est, quod interpretibus maiori mole superandum sit, quam argutiarum, quas illi studiose sectantur, tricae atque machinationes. Quippe cum poetae illi, quo saepius ac lepidius risum spectatorum excitarent, eo magis officio suo satisfecisse viderentur, nullum sane fontem praeterierunt, unde aliquid salis ac facetiarum peti, et quasi mobilibus rivulis pomaria sua irrigari posse arbitrarentur. Qui quidem fontes, ut numero sunt paene infiniti et genere valde diversi, ita cum natura sua, tum propter temporum vicissitudinem saepe adeo reconditi, ut vix lynceis oculis praedito homini reperiantur. Nam quae e personis, moribus, institutis, eventis et rebus gestis derivatur a poetis iocandi ludendique materia, ea ad intelligendum tanto est obscurior, quanto magis earum rerum memoria vetustate exolere coepit, ut saepissime ne divinando quidem et hariolando assequi liceat, quae densissimis involuta tenebris ad ultimam antiquitatem pertineant. Ad cuius generis locos, in poetis comicis haud raro obvios, interpretes, erroris opprobrium quam silentii facilius laturi, ita saepe impegerunt, ut plaustrum percellerent, famae suae melius consulturi illi quidem,

si manum, ut dicunt, de tabula sustulissent. Sed alii loci non minorem interpreti exhibent molestiam, ita quidem comparati, ut aegre appareat, serio an iocose dictum aliquid sit, et, si vel maxime postrema ratio locum habeat, quibus in verbis illud argutiarum acumen haereat. In quo genere illa sunt, quae apud Plautum in Captivis III. 1. v. 32—35. leguntur:

Nunc barbarica lege certum est ius meum omne persequi.
Qui concilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant,
His diem dicam, irrogabo mulctam: ut mihi coenas decem
Meo arbitratu dent, cum cara annona sit.

In quo quidem loco parasitus duobus postremis versibus aperte risum captat; cui praeparando etsi praecedentia verba manifesto inserviunt, incertum tamen est, utrum ipsa quoque per iocum dicta sint, an serio praevorti debeant. Ridiculum enim est, neque consentaneum, hominibus, qui alios victu et vita prohibeant, a quoquam legislatore vel iudice sapienti hanc poenam irrogari, ut ei, quem violaverint, aliquot coenas ipsius arbitratu dent. Caveri autem legibus, ne qua concilia in aliorum civium detrimentum ineantur, id non solum utile, sed et necessarium est, et ab omnibus bene institutarum civitatum conditoribus et principibus observatum. Quamquam vero poetae nostro istiusmodi legem fingere licuit, tamen id eum non facturum fuisse propterea arbitramur, quod maxima ridendi causa isto pacto periisset, quae non ex eo, quod fieri potest, sed quod factum esse repugnat, repetenda est. Atque haec causa fuisse videtur, cur interpretes illius loci Plautini, de quo agimus, certam aliquam legem respici existimarent. Quod quo iure, quave iniuria fecerint, nos more nostro indagare animum induximus.

Iam barbaricam legem eandem quam Romanam intelligi, vel e Festo notum esse debet, qui barbariam Italiam, et omnes gentes exceptis Graecis antiquitus barbaros dictos fuisse docet. Quare necesse est, ut in Plautinis comoediis, quae palliatae sunt, et ad graecarum fabularum imitationem factae, barbarum idem significet, quod Romanum. (v. Asin. prol. 11. Bacchid. I. 2, 15.

Capt. IV. 3, 105*). Cas. III. 6, 19. Mil. II. 2, 58. Stich. I. 3, 39. Trin. prol. 19.) Sed quo argumento, quove auctore lata fuerit illa, quae putatur, lex, id est, de quo ambigitur. Atqui egregie errarunt interpretes, qui legem a Q. Vario Hybrida latam innui putarent; quippe quae non solum ad aliam rem, ad arma contra populum Romanum sumta spectaret: sed quod summum est, anno demum 664. p. u. c., centum fere annis post mortuum Plautum sancita sit. Neque de ipso latoris nomine inter eos convenit, dum Koepkius ei praenomen Auli, quo auctore nescio, tribuit, Schmiederus autem Q. Vinnium appellat, quod nomen nusquam invenimus; gentis autem Viniae, antiquissimis scriptoribus non commemoratae, mentionem demum faciunt Cicero ad Att. II. 2. Tacit. Hist. I. 1. et passim alibi, atque Sueton. in Galb. 14. Omnem autem rerum Romanarum memoriam diligenter replicantibus nobis nihil neque in regum, neque in duodecim tabularum legibus, neque in consulum, praetorum, aedilium, aliorumque magistratuum edictis, quae iuris consuetudinarii auctoritatem habebant, quotquot aetatem tulerunt, inventum est, quod poetae animo obversari potuisse videatur; ut Küffnerus quidem, non admodum subtilis Plauti interpres, nugas egisse videatur, cum ad legis barbaricae explicationem nihil aliud, quam scripserit: *Nach welchem alle Privatzusammenkünfte verboten waren.* Hanc enim vanam esse Kuffneri coniecturam, cui faciendae ipsa Plauti verba: *qui concilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant*, ansam dederint, ideoque nihil nisi eam, quam philosophi dicunt, petitionem principii, manifestum est; cum ille quidem neque docuerit, fuisse privata concilia ante Plauti aetatem certa lege prohibita, neque, si tale quid sancitum fuerit, ostenderit, quo titulo ea lex fuerit insignita. Neque vero etiam in nostro loco sermo est de privatis conventibus, sed de hominibus,

*) Hic loci Italicas intelligi urbes in proclivi est, quarum nomina poeta ideo graece expressit, ut palliatae fabulae personae, Romano ore loquentes, vere viderentur barbarica h. e. peregrini sermonis vocabula pronunciare.

qui ex compacto rem agerent, quam facultatem omnes habuisse constat, qui collegio aliquo coniuncti essent. Id enim disertis verbis ait Caius in Dig. 47. Tit. 22. Fragm. 4. de collegiis et corporibus, ubi vocabulum *Sodales*, cuius in duodecim tabulis vestigium superest, ita interpretatur: *Sodales sunt. qui eiusdem collegii sunt: quam Graeci ἑταιρίαν vocant. His autem potestatem facit Lex, pactionem. quam velint, sibi facere: dum ne quid ex publica lege corrumpant.* E quibus Caii verbis Iacob. Gothofredus legem istam in octava, quam esse voluit, tabula ita restituit: *Sodales. legem quam volent. dum ne quid ex publica corompant, sibi ferunto.* Eam autem Bachius Hist. Iurispr. Rom. p. 61. latius sic exposuit: *Sodales, id est collegiati* (lege *collegiatos*) *quorum certa fuerunt corpora, leges inter se ferre liceto. quas volent. dummodo publicis legibus contrariae non sint.* Hac igitur lege coercita fuisse patet collegia et in ordinem redacta, ut cum detrimento publico in peius mutari nequirent. Exinde vero posset aliquis eam imbibere animo opinionem, hanc legem duodecim tabularum eandem esse, quam Plautus in nostro loco respiciat. Et habet sane ista opinio aliquam veri speciem. Etsi enim istorum collegiorum maxima pars opificum sodalitia erant; tamen mercatorum quoque fuisse a Livio accepimus, qui a. u. c. 259. senatum mercatorum collegium instituisse narrat. cfr. Gruteri Corp. Inscrr. T. II. p. XL.) Quos quidem ista quoque lege duodecim tabularum obstrictos fuisse, plus quam verisimile fit, auctore eodem Caio, qui l. c. ita pergit: *Sed tamen Lex videtur e lege Solonis translata esse: nam illuc ita est*: ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύνσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν· ὅ, τι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα*). His enim verbis

---

*) Haec verba Solonis cum a Guadagnio in praestantissimo libro, qui inscribitur: *dissertationes ad Graeca Pandectarum. Pisis.* 1786. 4 satis docte et diffuse explicita sint, non egent nostra interpretatione. Igitur haec tantum addamus. Primo pro ὀργίων

diserte commemorantur *οἱ εἰς ἐμποϱίαν οἰχόμενοι.* Qui tametsi sunt honestioris ordinis negotiatores, nescio tamen, quid impedierit, quo minus institores, propolae, caupones, omnesque omnino rebus vendendis quaestum facientes homines, eodem iure tenerentur. Etsi enim hac lege, ob nimiam qua laborabant XII tabulae brevitatem (Gell. Noct. Att. 20, 1.), nihil de singulis mercatorum generibus constitutum esset, poterat tamen iurisperitorum interpretatione omnis mercatorum societas ad id genus referri; ideoque etiam olearii, quorum Plautus v. 29. mentionem iniecit. Quibus quidem oleariis, quamquam Plautinus ille parasitus adolescentes suos, quoniam similiter atque illi de compacto rem gerebant, et victus quaerendi opportunitatem impediebant, recte comparat; tamen non potuit poeta ad istam XII. tabb. legem respicere, quoniam secundum eam non poterat actio de restituendo damno institui, sed ex eo, *ὅ, τι ἀπαγοϱεύσῃ δημόσια γϱάμματα.* In quibus publicis legibus an etiam aliqua lata fuerit contra eos, qui concilium inierint, ut alios victu et vita prohiberent, id ipsum est, quod quaeritur.

Itaque nisi longe aliter persuasum haberem, et si in re argumentis historicis confirmanda probabilibus coniecturis defungi liceret, censerem equidem a Plauto intelligi legem a magistratu quodam per edictum propositam, quam Cicero annuam appellavit, quaeque vetustate temporis saepissime pro iure certo recepta est. Eiusmodi lege aliqua videri possit aliquis aedilis Romanus, cui

---

haud dubie legendum est *ὀϱγεῶνες*, et vocabulum *ἱεϱῶν*, quod glossam sapit, delendum, nisi forte *πλεοναστικῶς* additum fuerit. Deinde verborum illorum: *ἢ ἐπὶ λίαν* (lege *λείαν*) *οἰχόμενοι*, quae sollicitare plerique interpretes ausi sunt, veritas confirmatur auctoritate Xenophontis, qui hac integra phrasi usus est in Anab. 6. 6, 5. Denique vocabulum *ἀπαγοϱεύσῃ* non est, quod in *ἀπαγοϱείῃ* mutetur. Ceterum Guadagnius p. 189. hanc legis latinam versionem exhibuit: Si vero populus (aliquis) vel curiales, vel sacerdotes orgiorum, vel nautae, vel simul cibum capientes, vel qui commune sibi sepulcrum habituri sunt, vel sodales una saltantes, aut canentes, vel ad praedam exeuntes, vel ad mercaturam, quidquid his de rebus statuerint inter se, ratum esto, nisi prohibuerint publicae leges.

res venales curae esse solebant, annonam laxare et cavere voluisse, ne omnis annonae, aut certe cuiusdam generis rerum venalium (olei fortasse, quod e v. 29. coniici possit) nimis magnum pretium esset, quod quidam mercium institores, pro sordida avaritia sua inter se pacti, privato consilio auxerant. Cuius quidem legis formulam non absimile vero fuerit, iis verbis fuisse expressam, quae versu 33 continentur, si quidem pro *nos* in ipsa lege scriptum fuisse cogites *alios* aut *cives*. Quae verba legis Plautus parasiti causae ideo poterat accommodare, ut riderent spectatores hominem formulam inepte quaerentem, e qua ius suum posset persequi. Nam iocandi ansam unice quaeri e mulcta addita clare apparet. In oculos enim incurrit, talem poenam in ipsa lege aedilicia, si qua fuerit, non sanciri potuisse.

Sed cum legis illustrando huic loco idoneae nusquam nec vola, nec vestigium appareat, in eam ducimur sententiam, ut legem istam barbaricam non magis locum habuisse censeamus, quam *legem saturam* a Festo et Diomede ad locum Sallustii Iugurth. c. 29. interpretandum temere confictam, aut *tulariam*, qua publicam aliquam, *Publicium* fortasse vel *Titiam* in Milite glorioso II. 2, 9. indicari, Hotomannus, Douza et Salmasius male statuerunt. Videtur autem nobis *lex* nostro in loco valere pro *ratione lege agendi*, quasi dicat parasitus: *barbarico more ius meum persequar.* Qui mos, nisi nos omnia fallunt, in eo ponitur, ut causam suam in iudicio populi disceptari velit. In quam sententiam ducimur loco aliquo Ciceronis, huic nostro longe simillimo. Is enim in oratione pro Milone c. 14. ita: *diem mihi, credo, dixerat, mulctam irrogarat; actionem perduellionis intenderat.* Quibus verbis intelligere Tullium non nisi crimen ad populi iudicium deferendum, ex eo elucet, quod, cum triplicia essent iudicia, publica, privata et extraordinaria i. e. populi (ut scite Ill. Stockmannus ad Bach Hist. Iur. Rom. p. 101. distinxit), etiam post institutas quaestiones perpetuas*), quibus multa extraordinaria

*) Quoniam quaestiones perpetuae demum anno urbis 605,

iudicia ordinaria facta sunt, perduellionis tamen iudicium ex instituto Tulli Hostilii semper universi populi maneret. (v. Bach. libr. cit. p. 99.) His autem populi iudiciis solennem fuisse istam formulam *diem dicere*, pro qua in privato iudicio *in ius vocare* dicebatur, ex omnibus auctorum veterum locis emergit. Diem vero, quo reus a populo iudicandus esset, dicere nemini, praeterquam magistratui, veluti tribuno, quaestori, aedili, licuit*); ubi enim privatus accusator esset, non iudicium populi, sed quaestio extra ordinem habita est, quam instituebat is, cui vel senatus consulto, vel lege mandata erat. Iure enim Romano non poterat quisquam aliter reus ad populum fieri, nisi magistratus conscensis rostris in concione pronunciasset, se certa quadam die aliquem accusaturum, eumque ad audiendum per praeconem adesse iussisset. Quam accusationem sequebatur mulctae poenaeve**) irrogatio, hoc est, rogatio ad populum, ut mulctam poenamve, a magistratu propositam, suo suffragio

---

igitur post Plauti aetatem, introductae sunt, errare videtur Meyerus, quod in nota ad Adami Enchiridion Antiquit. Rom. T. I. p. 161. triplicem istam iudiciorum divisionem respici a Plauto statuit, in Menaech. IV. 2, 19. his verbis: *aut ad populum*, *aut in iure*, *aut ad iudicem res est*, quorum sententiam alio loco explicabo.

*) Idem apparet quoque ex Tacit. Ann. 4, 19. et e loco Ciceronis in orat. pro domo c. 17., quo ad illustranda Plautina verba, ob magnam cum iis similitudinem, lubentissime uterer, nisi tota ea oratio dubiae esset auctoritatis. Sed quoniam Wolfius, acerrimus eius exagitator, auctorem illius, quisquis sit, aliquam tamen veritatis et antiquitatis cognitionem prodere affirmat, non dubito commemorare, quod ibi quoque, ubi *de iudiciis populi* sermo fit, id a maioribus constitutum dicatur, '*ut ter ante magistratus accuset.*

**) Vocabuli mulctae tres significationes probe discernendae sunt: Primo in vulgari sermonis consuetudine idem est, quod poena. Secundo a Iureconsultis adhibetur pro certa specie poenae, estque animadversio pecuniaria, vel antiquissimis temporibus pecuaria. Gell. 11., 1. Dig. L. 50. tit. 16. fr. 131 et 244. Tertio iidem Iureconsulti eam distinguunt a capite. vid. Sigon. de Iudic. III 3., quocum classici etiam auctores consentiunt. Quid vero apud Germanos mulcta fuerit, docet Heineccius in Element. Iur. Germ. T. II. p. 352. §. 384.

ratam faceret *). Sed quoniam utrumque et diem dicere et mulctam irrogare, nempe in iudiciis populi, nonnisi magistratui, iudicare de multa populo tantum licebat **), apparet poetam parasito induere magistratus aut iudicis personam, ut ex hac quoque parte ridendi copiam spectatoribus faciat. Nam totus omnino locus ad risum excitandum est aptissimus, propterea quod singulae sententiae supinam parasiti stultitiam prae se ferunt. Primum enim ridiculus est, quod lege agere decernit in re, cui, quoniam voluntaria erat, praestandae nemo erat obnoxius. Deinde, quod publicam actionem pro civili instituere vult; actio enim prohibiti et non exhibiti, quo hanc speciem forsan referre possis, inter privatas numeranda est. Porro quod in propria causa iudicare, et privatus adeo atque illiberalis homo magistratus munere fungi audet. Denique quod stricti iuris actionem cum arbitraria confundit, arbitrique provinciam tam severe administrat, ut non ex aequo et bono causam aestimet, reosque nisi rem actori statim reddidissent, in triplum aut quadruplum, quod summum erat, condemnet; sed decernat, ut sibi coenas decem dent, cum cara annona sit. Itaque hic locus Plautinus, quo poeta omnem lege agendi rationem ***) confundit, et in hoc unice intentus, ut hominem spectatoribus deridendum propinet, summa imis consulto miscet, documento potest esse maximo, ne poetarum, comicorum potissimum, testimoniis de rebus ad antiquitatis cognitionem pertinentibus, praecipitem et facilem fidem adhibeamus, et ut sedulo inquiramus, utrum serio aliquid, an iocose ab iis dictum sit.

---

*) Haec omnia fusius exponuntur a Sigonio de Iudiciis. lib. III. c. 6. et seq.

**) Nam cum accusator iudicare dicitur, ut in Liv. 26, 3. 43, 16. et in ipso illo Ciceronis loco pro domo, iudicare idem significat, quod poenam mulctamque irrogare, neque de decretoria sententia, quae populi erat, sed de praevia et arbitraria magistratus sententia intelligi debet. Mecum sentit Dukerus ad Liv. 26, 3.

***) Totum illud Romani iuris caput subtilius enodavit *Ioannes Franciscus Leonardus van Hassett* in libro, qui inscriptus est: *Specimen Iuridicum inaugurale de Legis Actionibus. Groningae* 1824. 8.

VI.

DE

NUPTIIS SERVILIBUS.

AD

PLAUTI CASIN. PROLOG. V. 67—77.

(NUPTIALE DONUM ILLUSTRI WENCKIO DATUM
DIE III. SEPTEMBR. MDCCCXIII.)

QUAE RES RECTE VERTAT!

Convocanti mihi in corde senatum consiliarium et diu frustra meditanti, quonam modo tuas, amice auro contra non care, desideratas nuptias, condigne te meque concelebrarem, numero evenit, ut ad familiaris mei, Sarsinatis, epulas, quibus tu nosti me quotidie satiari, sed ita, ut semper aliquid reliquiarum in crastinum fiat, vocatus, in eiusmodi inciderem bellaria, quae stomacho méo mirifice facerent. Extempulo igitur decrevi tibi eorum aliquam sportulam offerre, non tam tua causa, quem hodie omnibus laetitiis incedentem, mihi eius rei gratiam facile facturum esse intelligerem, quam mea potius, cuius plurimum interesset, habere aliquid munusculi, quod novae nuptae honoris gratia praeferendum darem. Sed oro te magnopere, ut tegere illud et myrto hederisque velare praetextatos pueros iubeas, quo magis puella tua, occulta sacra inesse existimans, rem in

conspectum adducere reformidet. Vereor enim, ne sperata tua, cuius palatum nisi ad pretiosissimos cibos hodie non excitandum est, fastidiat nostrum hocce ferculum, quippe quod barbarico more coctum et de servilibus cibariis detractum, ingenuarum feminarum stomachum movere debere videatur. Te vero ipsum non nisi post repotia huius cibi saporem gustu explorare volumus, quem tum demum probabilem videri speramus, cum ventriculum tuum, omni dulcedine exquisitissimarum epularum fatigatum, quotidiani cibi desiderium rursus occupaverit. Quid igitur est? cito, inquis, absolve me, fieri dictis compendium volo. Itaque in pauca referam. Quid ergo? Sed timor linguam praepedit. Loquere vero, quidquid hoc est. Serviles narro nuptias. Praeclaram sane rem, tam hodierna solennitate, quam docti viri eruditione dignissimam! Quis enim adeo in iure tiro est, ut nesciat, nullas cogitari posse servorum nuptias? Benedice quaeso! Plautum enim testem adduco, cui vos iuris coctiores viri tantum tribuitis, ut eo duce errare malitis, quam antiquitatis profiteri paullo obscuriorem intelligentiam. Is igitur in Casinae prologo ita:

Sunt hic, quos credo nunc inter se dicere:
Quaeso, hercle, quid istuc est? serviles nuptiae?
Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego aio hoc fieri in Graecia et Carthagini,
Et hic in nostra terra, in Apulia.
Maioreque opera ibi serviles nuptiae,
Quam liberales etiam curari solent.
Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Poenus dum iudex siet,
Vel Graecus adeo, vel mea caussa Apulus.

Diserte igitur affirmat poeta, servos in Graecia et Carthagine, atque adeo in Apulia, Italici iuris terra, et uxores duxisse et nuptias fecisse. Quod cum interposito pignore verum esse contendat, nullam videtur habere posse dubitationem. At mihi tamen certo certius est, non maiorem his verbis fidem esse adhibendam, quam aliis locis, in quibus poeta, ioculari licentia abreptus,

veritatis terminos egreditur*). Id quod vel inde elucet, quod pignore in urnam mulsi dato contendi vult; quale hilares compotatores potius, quam graves homines solent opponere in certamine, cuius severum iudicem inveniri nec illorum, nec cuiusquam magnopere interest. Sed maioris ponderis argumentum graecae antiquitatis cognitio suppeditat, quae impedit, quo minus nobis aeque ac vulgo Romano a Plauto per ludibrium imponi patiàmur. Nam de Poenorum atque Apulorum moribus, quarum gentium exigua superest memoria, quaerere omittimus. Graecos autem pariter ac Romanos servis suis non dedisse et uxorum ducendarum et nuptiarum faciendarum ius

*) Idem Gundlingius (de contubernio servorum §. I.) Tiraquellum ad Alex. ab Alex. II. 5. auctorem secutus statuit. Quare nescio, cui rei ille ibidem scribat: Prologum alteram atque Plauti manum referre. Nam si vel maxime contendamus alium poetam prologi auctorem fuisse; (Alciatus in Parerg. VI. 16. Apulum aliquem Comoedum hunc prologum praefixisse statuit. Nempe quia versum 72. ita legebat: *Et hic in terra nostra Erinae in Apulia.* Inde enim apparere Comoedum illum Erinatem fuisse, qui populus est in Apulia Plin. 3. 10. Sed de lectionis illius varietate, uti de alia in edit. Aldina: *atque in Apulia*, alio loco agemus.) tamen nihil eo movetur. Non enim auctorem, sed veritatem istorum verborum quaerimus. Est vero totus ille prologus Plautino stilo, orationi et ingenio adeo congruus, ut lacte lacti non possit esse similius. Itaque magnam Gundlingius iniisset gratiam, si ostendisset, quonam argumento istum prologum Plauto abiudicandum putaret. Nam quod Acidalii fortasse auctoritate nititur, id in re, ubi argumentis opus est, nihil valet. Subolet tamen, quid criticos in istam opinionem induxerit. Nempe id fecerunt priores viginti versus prologi, unde, quamquam ex mea sententia non certo, coniicere aliquis possit, Plautum eo tempore, quo haec fabula de novo in scenam produceretur, iam non in vivis fuisse. Quodsi vel maxime concesserim; tamen non dubitaverim a versu vicesimo primo ordiri Plautinum prologum, cui aliquis histrionum magister, fabulae illius denuo docendae gratia, pannum istum nescio a quo assui iusserit. Neque vero extrema prologi verba, eadem cum illis in Cistell. I. 3, 49. 50. certum alienae manus indicium sunt, propterea quod Plautus ab eiusmodi suorum verborum repetitionibus, ut alii quoque poetae (consule Weichertum in libello: C. Valerii Flacci Argonauticon liber octavus. Misenae 1818.), minime abhorret. Clariss. Wolffius in diss. *de prologis Plautinis* suspicatur auctorem illius prologi *circa mortem Terentii Afri* vixisse.

atque potestatem omnium scriptorum consensu confirmatur. Ac Romanos quidem ipsius Plauti voluntate tacite praeteriremus, nisi eorum instituta atque iura, a Graecis civitatibus maximam partem repetita, iisque assimilata illa, ad illustrandos graecos mores magno essent usui. Iam vero illud tralaticium est, servorum conditionem ac fortunam, quam Tullius infimam appellat (de Offic. I. c. 41.), adeo iniquam fuisse, ut nullum omnino ius in civitate haberent (Paull. lib. III. de cap. demin.), neque in personis, sed in rebus numerarentur. Qui miserorum hominum contemtus, uti ex omnibus, quae facienda iis et patienda erant, apparebat, ita eo quoque sese manifestabat, quod eaedem res, iisdem, quibus liberi utebantur, nominibus, a servis appellari vix licebat. Id cum in aliis*), tum in matrimonii nomine maxime locum habuit. Etsi enim Romani impedire neque vellent, neque possent, ne mares atque feminae servitutem servientes procreandae subolis gratia sociarentur; tamen noluerunt istam societatem et natura sua et fine non discrepantem ab ea, quam liberi colerent, matrimonium appellare, sed contubernium esse dixerunt: eaque consuetudine maribus coniunctas feminas non uxores, sed contubernales vocari iusserunt. Uxorum autem duas voluerunt esse formas, unam earum, quae in manum, hoc est mariti potestatem, convenirent, alteram earum, quae sine ea conventione ducerentur; has appellarunt uxores tantummodo, illas matres familias. (Cic. Top. 3.) Iam vero triplex erat modus, quo in manum viri convenire poterat mulier, vel confarreatio, a pane farreo, in sacrificio solemni adhibito, dicta: (Ulpian. fragm. IX. et Münter de matrimon. rom. in specie de confarreatione. Gotting. 1787.) vel coemtio, quae fiebat per mancipationem: vel usus, quando matrimonii caussa anno cum viro fuerat. Quae vero uxores tantum appellabantur, eae solo consensu et sive tacita sive expressa declaratione, liberorum

*) Huc illud pertinet, quod in Captivis III. 4, 42. patrem servus habere negatur, aeque ac mater civilis ancillis non erat, teste Paullo Recept. Sent. lib. IV. tit. 10.

procreandorum gratia coiri, matrimonium inibant, idque non minus legitimum, quam priora, quamvis varii illorum generum effectus essent, de quibus Iureconsultos ad satietatem usque disputare patiamur. (vid. inprimis Christ. Ulr. Grupenii Tract. de uxore romana. Hanoverae 1727.) Ab his enim verborum significationes diligenter indagari et angustioribus finibus circumscribi iuris civilis ratio atque usus postulat. In quo tamen negotio magnopere illos semper impedivit varius multorum vocabulorum intellectus, et non satis magnus eorum numerus, quae peculiarem nullique alii rei communem significandi vim haberent. Unde sese ita expediverunt, ut communibus verbis, quibus forensem significatum subiicerent, adiungerent vocabulum *legitimus*, veluti *legitimum matrimonium*, *legitima uxor*, *legitimum testamentum*, vulgarem autem usum vocabulo *quasi* notarent, veluti *quasi matrimonium*, *quasi uxor*, *quasi testamentum.* Quae quidem in dicendo diligentia, in foro atque iudiciis necessaria illa, nunquam in vulgaris sermonis consuetudinem abiit, neque etiam observari vulgo potuit, quin putida et ridicula videretur. Atque hoc ipsum fuisse arbitramur, nisi egregie fallimur, quod Plauto in illo loco cavillandi opportunitatem praeberet. Nam cum de servili matrimonio loqueretur, facile redibat in memoriam quorundam hominum, summo loco et amplissima fortuna natorum, qui prae nimio servilis conditionis fastidio, forensem illam orationis subtilitatem in communem quoque vitam introducere studebant. In quibus irridendis poeta acerbissimum sal consumit, dum sese non solum non excusat, sed nuptias et uxores servorum dici posse audacter defendit, exemplo gentium, quas Romani prae se satis contemnebant*): talique pignore proposito, quali cum nobili ac severo viro certare velle ludibrium erat. Ac profecto nescio, quaenam vocabula poetae ad eam, quam narrabat, rem exprimendam aptiora videri potuissent. *Contubernalis* enim nomen, quod, praeterquam in corpore iuris, in ceteris

*) Id quod de Graecis atque Poenis constat, de Apulis autem istis verbis *mea caussa* indicatur.

scriptoribus classicis omnino rarissime, et ab ipso servo usurpatum semel tantum in Petronio legitur, an Plauti iam aetate de servis matrimonio iunctis in usu fuerit, dubito, idque eo magis, quoniam liberos quoque coniuges ita dictos fuisse marmorum lapidumque inscriptiones probant. Num vero *coniunctam* pro uxore diceret? Sed isto nomine servorum mulieres vulgo appellatas fuisse, Taubmannus e Varronis loco de R. R. I. 17, 5. nimis festinanter conclusit. An *conservam* appellaret? quo nomine classici scriptores nusquam pro servi coniuge usi sunt, quod prae ceteris locis ex ipsa Plauti Casina I. 19, 20. clare intelligitur. An *coniugem* aut *mulierem* vocitaret? quae quidem vocabula multo latius patent, quam uxoris nomen, et de feminis iusto quoque matrimonio iunctis sexcenties dicuntur. In eo igitur, quod Plautus uxorem a servo duci dicebat, praeter nonnullos fastidiosos homines, nemo poterat offendere, cum ea haud dubie vulgaris esset dicendi formula, qua ne Iurisconsultos quidem semper abstinuisse apparet ex l. ult. C. de serv. fugitivis, extra forum autem uti servis quoque non fuisse interdictum*) eo magis verosimile est, cum inscriptiones a Fabretto divulgatae clare ostendant, coniugis nomen, quod uxoris synonymum est, servos inter se usurpasse. (c. IV. p. 308 etc.) Similiter se res habet cum *nuptiis*, quae translate quidem pro legitimo connubio dicuntur, sed proprie festam hilaritatem, ipsa sive iusti sive iniusti matrimonii ineundi die celebratam, indicant; quam posteriorem potestatem vocabuli poeta amplexus recte mihi dixisse videtur:

Maioreque opera ibi serviles nuptiae,
Quam liberales etiam curari solent.

Sed age pergamus in Graeciam, quo Plautus ipse incredulos istos spectatores pro more suo satis callide ablegat. Ibi enim non minor erat, quam sub populi Romani imperio aut servorum contemtio, aut legum, quibus illi civitatis iura tuebantur, custodia; sed in verbis tamen Graeci faciliores erant, neque ea, quae cum servis

---

*) vid. Terent. Adelph. V 9, 16.

communia habebant, ipsis nominibus sedulo distinguere studebant. Itaque nuptias et matrimonium quodlibet *συναυλίαν*, *συνάφειαν*, *συνοικισμὸν*, *γάμον*, uxorem quamlibet *γυναῖκα*, et uxorem ducere *γαμεῖν γυναῖκα* dicebant. A qua dicendi consuetudine non recedebant, nisi cum inter iustum et iniustum matrimonium *νομικὸν γάμον* et *ἄνομον*, legitimam et illegitimam uxorem, *γυναῖκα γνησίαν* s. *γαμουμένην*, s. *δάμαρτα ἐπὶ δικαίοις* et *ἑταίραν* s. *παλλακίδα*, accurate distinguendum erat; tum enim, qui illam duxerat *λαβὼν πρὸς γάμον* et *γεγαμηκὼς γάμῳ*, qui hanc habebat *ἔχειν γυναῖκα* et *ἄνευ γάμου λαβεῖν* dicebatur. (Demosth. ed. Reisk. p. 1002, 12.) Non mentitur igitur Plautus noster, cum dicit servos in Graecia uxores ducere, quandoquidem graeca phrasis illa, quae huic latinae respondet, de liberis pariter atque servis usurpabatur; sed facete ludit morosos illos et criticos, quos fingit, spectatores Romanos, qui ne dicendi quidem formulam, cum iure aliquo civitatis coniunctam, cum mancipiis suis, quamquam alio significatu, vellent communicatam. Perdunt igitur operam et laborem, si qui ex hoc Plautino loco, quo pro certissimo testimonio utantur, demonstratum eunt, Graecorum servis fuisse legitimarum nuptiarum ius, hoc est tale, quo non forma solum atque modus, sed civilis etiam effectus liberalium nuptiarum iis concederetur. Ad quem scopulum adhaesisse ceteroquin acutissimum iuris interpretem Everardum Ottonem, non satis mirari potui, quippe qui in Commentario ad Iustin. Institt. l. I. c. X. tit. 10. p. 57. ita scribit: „In con-„sociatione servorum et ancillarum, ad ipsam coniugii „naturam, et matrimonium, quatenus id iuris gentium est, „nil deerat: generabant enim sui similes, extinguebant „libidinem, et mutuum adiutorium sibi praestabant: at „si de effectu iuris civilis quaeras, nullae, *sicut in „Graecia et Carthagini*, nuptiae, dos, uxor, gens, „domus, potestas vel agnatio illis erat, apud Iudaeos, „et Romanos.“ Sed minime idoneos eius rei testes advocavit. Samuel enim Petitus in legg. Att. VI. 1, 19. plane contrarium docet, Alciatus autem in Parerg. Iur. VI. 16. nihil aliud quam locum Plauti citavit; a Seldeno

denique de iur. naturae V. 12. nonnisi de Hebraeorum matrimonio agitur.

Sed necesse est, ut orationem comprimam. Iam dudum enim Paphia dea exspectat, ut in sacris sibi apparandis faciam praeconium. Quod igitur faustum fortunatumque sit! Amat Caius Caiam et illa illum contra, qui est amor cultu optimus. Diu inter se isti rei operam dederunt et amore surrepticio, libellis Venereis, suspiriis et saviis affatim usi sunt. Sed volunt irrupto copulari vinculo, ut animo suo absque invidia morem gerere, et ipsius corporis capere possint usuram. Eius rei hodie ponent tirocinium. Adeste igitur omnes, quotquot utrique benevolentes estis, quique Amorem vultis habere propitium, et clara voce canite Talassio! Hac lege in crastinum ad epulas invitabimini. Sed providete, ut linguis utique faveatis, ut fausta omnia atque prospera voveatis: marito quidem, ut ubi menses acti fuerint, uxorculam pulcre plenam adspiciat, moxque tales liberos edentem, qui suis factis immortali gloria parentem afficiant: uxori vero, ut virum examussim obsequentem habeat, eumque, qui nihil ipsi, praeter rempublicam, praetulisse dicatur. Qui pudicitiae esse vultis praemium, plausum date!

VII.

DE USU VOCULARUM *SI* ET *NI* IN SPONSIONIBUS AD PLAUTI RUD. V. 3, 19—27.

Olim spondere idem valuit quod dicere. Id Festus docet et verbi respondere vulgaris significatio comprobat. Sed mature latior istius vocabuli potestas circumscripta est angustioribus finibus, ut non liceret eo de alio sermone uti, quam quo futurum aliquid promitteretur. Modi autem promittendi varii sunt. Promittimus enim primo vel pure et omnino vel cum conditione: cum posterius fit, necessarius est usus vocularum *SI* et *NI*. Deinde pollicemur vel ultro vel rogati et stipulante altero (Plaut. Pseud. I. 1, 115. IV. 6, 14.)[1]). Denique fit promissio vel simpliciter, vel sic, ut alter repromittat et restipuletur (Curcul. V. 2, 67.). Licet autem singuli illi modi haud raro sponsiones dicantur, tamen comprehenderunt Romani eo vocabulo plerumque universos simul, ut perfecta sponsio esset promissio cum conditione per stipulationem ultro citroque facta[2]). Huius generis sponsione utebantur fere in omnibus vitae et privatae et publicae negotiis, ut iis vim verbalium contractuum conciliarent, maxime vero in privatis controversiis, quando se ad rem dubiam qualemcunque probandam pignore obstringebant[3]). Ea res in litibus magnae utilitatis est. Probos enim et honestos homines non decet alio consilio facere et habere controversiam, quam ut

vero vincant, hoc est, ut certis rationibus et claris argumentis alterius partis sententiam frangant, suam vero confirment atque tueantur. Haec res magni saepe laboris est non solum propterea, quod longe difficilius est dicere, quare aliquid verum, quam quare falsum sit, sed etiam ideo, quia nemo facile errare vult. Errare autem per se turpe habetur, et in vita plerumque est periculosum. Hinc nascitur usitata illa in disceptando pertinacia, qua litigantes, etiamsi rei dubiae fidem facere nequeant, cum id, quod defendunt, verum esse velint, pro sententia sua immoderate depugnant, inque fortuna incerti exitus omnem victoriae spem reponunt. Quarum concertationum molestiam depellendi, nisi aut totam litem omittere, aut vim alteri inferre velis, omnino nulla via atque ratio est, praeter eam, ut cum adversario conveniat de periculo poenae ab eo haud dubie dandae, qui falsam causam defendisse denique fuerit convictus. Hac enim poena proposita efficitur, ut vel ea pars, quae temere, iracunde et cum calumnia disceptavit, ob certi periculi metum de sententia sua statim decedat, aut utraque pars, si causa sua confidant, cum rem sibi in integro esse videant, de lite extemplo dirimenda non admodum laborent, disceptationemque in aliud tempus et locum differri facile patiantur. Atque hic fons est moris illius vulgatissimi, quo exortis inter homines verborum contentionibus audimus eos sese provocare sponsionibus, eo consilio, ut vel absque aliis argumentis ita esse, ut contendunt, vincant, vel motam controversiam in praesenti saltem praecidant. Nam qui spondere non vult, is causam suam prodidisse videtur, qui vero ad spondendum se paratum ostendit, is iudicii dilationem nulli sibi noxae futuram arbitratur. In tali autem, de qua loquimur, sponsione, quae propter stipulationem solemnibus verbis factam a Romanis pro verbali contractu habebatur, quo quis id, quod conceptis verbis pollicitus erat, poenae periculo obnoxius praestare tenebatur, quatuor probe distinguenda sunt: et res promissa, et personae promittentes, et formula promissionis, et praestandi praestitive promissi index. Quarum rerum ratio et natura cum saepius non

satis intelligeretur, factum est, ut classicorum scriptorum interpretes non nunquam in iis locis, ubi sponsionum aliqua mentio fit, animo haererent et iudicio errarent. Itaque operae pretium facturos nos esse putavimus, si eam rem tironum gratia paullo diligentius exposuerimus.

Quod igitur ad promissionem sponsione factam attinet, ea duplex est: altera rei controversae probandae, altera dandi pignoris. Illa conditionis habet naturam, haec rei ad quam refertur conditio. Promittitur enim poena pignoris ea conditione, si non probatur caussae, quam quis defendit, veritas. Praestanda igitur veritas sive iuris sive facti, sive alius cuiuscunque rei, etiam futurae, finis est omnis sponsionis: pignus autem, quod spondetur, est quasi momentum, quod ad praestandum fortius impellat. Quare illud, quidquid sit, oportet tale esse, cuius neuter paciscentium damnari velit, sive serio, veluti Plaut. Casin. prol. 75.

> Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
> In urnam mulsi.

sive per iocum, Poenul. V. 4, 72.

> Da pignus, ni nunc periures, in savium, uter utri det.

sive pro portione facultatum: Epid. V. 2, 35.

> — — — ni ergo matris filia est,
> In meum nummum, in tuum talentum pignus da.

Sed duplicem etiam in sponsione facienda oportet esse personam, alteram eius, qui ad sponsionem provocat, alteram eius, qui provocationi respondet[4]). Illum auctorem sponsionis vocaveris, hunc acceptorem. Uterque duo promittit, et rei controversae exspectandam iudicationem, et pignoris poenam; cum hoc tamen discrimine, ut quam auctor contendat sententiam veram iudicatum iri, eam acceptor falsam apparituram esse statuat; quare hic negantis, ille affirmantis munere fungitur. Atque in hac personarum differentia vertitur tanquam cardine rectus et legitimus formulae promissionis, quae stipulando fit, usus. Nam cum omnis obligatio ad poenam sponsionis solvendam conditione aliqua, ut diximus, nitatur, qua utraque litigantium pars spondendo adstricta est, oportet sponsionem in ea verba fieri, quae manifestum habeant conditionis

indicium. Ea, quoniam a dissentientibus fertur, non potest non contrariis verbis exprimi, ut alter posito pignore mulctari velit, *si res ita sit*, alter vero, *ni ita sit.* Iam qui spondet, *si quid sit*, is dubitat et negat ita esse: qui contra spondet, *ni quid sit*, is confidit et affirmat. Unde efficitur, ut vox SI negantis, NI autem affirmantis sponsionem ordiatur [5]). Quod cum satis multis exemplis constet, unum suffecerit Plautinum: Rud. III. 4, 7—9.

— — — — — — ergo dato
De senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum,
Si tuas esse oportet, *nive* eas esse oportet liberas.

Prius enim Trachalio negat, posterius affirmat. Porro cum sponsio ante fieri nequeat, quam quis exsistat, qui causam veram esse neget (Liv. 39, 43. *Conditio Quinctio fertur, ut, si id factum negaret, sponsione se defenderet.)*; sequitur, provocationem a parte affirmante proficisci, eaque conditione provocandum esse, *ni* verum sit, hoc est, quoniam verum censeo. Qua fiducia occurrere adeo movendis forte controversiis solemus, provocando quemlibet, qui negare velit, ut P. Africanus apud Gell. VII. 11. *Ni hoc ita est: qui spondet mille nummum?* In stipulatione autem, quae ab eodem auctore initium capit, plane contraria est dicendi ratio. Nam cum infitiatoris intersit, falsum esse, quod ab altero statuatur, non potest affirmans alio modo ex animi sententia negantis interrogare, quam hoc: *Spondesne si* etc. i. e. num vis pignoris alicuius damnari, si probavero, quod negas? nec aliter ab interrogato sponderi quam sic: *Spondeo si* ita est, ut tu dicis, et ut ego esse nego. E contrario negantem necesse est ita ex voluntate affirmantis restipulari: *spondesne ni* h. e. nisi verum appareat, quod affirmas; nec aliter ab affirmante responderi, quam sic: *spondeo ni* ita est, ut ego dico. Hunc solum verum esse interrogationum et promissionum in spondendo ordinem, ex ipsa rei natura elucescit. Nam cum sponsio non nisi inter dissidentes usu eveniat, e quibus is, qui negat, tempore posterior est: non potest is, qui prior aliquid statuit, ubi argumentis et testibus res transigi nequit, compescere adversarii linguam alio modo, quam

ut ad sponsionem provocet. Quod qui facit, is semper pro affirmante habendus est; nec quidquam interest, utrum aliquid esse an non esse [6]) affirmet, modo sententiam suam ab altero impugnatam sic velit tueri, ut eum iubeat spondere: *Si* res aliter se habeat, ac talis sit, qualem adversarius esse credat [7]). Quare nobis errasse utique videtur Sigonius (de Iudic. I. p. 722. ed. Mediol.), cum vellet sponsionem Lutatii: *ni bonus vir esset* (Cic. de Off. III. c. 19.), ita factam, ut actor prius stipularetur: spondesne sacramentum, *ni vir bonus es?* Res enim et ordo sponsionis postulat, ut primo interrogarit Lutatius: *Spondesne, si vir bonus sum?* [8]) Pendet igitur istarum vocularum varius usus e ratione, quae spondentes personas intercedit, et cui alterutra particula, vel *si* vel *ni* tam necessaria et propria est, ut, ubi eam legem migratam videamus, ibi audacter aut librarios mendi accusare, aut ipsos scriptores veteres negligentiae insimulare, aut adeo nos erroris arguere debeamus. Prioris generis exemplum praebet nobilissimus ille apud Ciceronem pro P. Quint. c. VIII. locus, ubi interpretum errore, qui stipulationis formulam crasse et obscure intelligerent, factum est, ut inveteratum vitium verborum non solum non emendaretur, sed novis naevis interpolaretur. Ex iis enim, quae docuimus, manifestum fit, neque legendum ibi esse: *ni bona possessa essent*, neque: *ni bona possessa non essent*, neque adeo sic: *si bona possessa non essent*; sed, quidquid contradicant doctissimi ceteroquin interpretes, veram lectionem solam esse hanc: *Si bona possessa essent.* Negantis enim illa sponsio est. Quare in capite 27. a quibusdam libris recte abest particula *non* in repetita sponsionis formula.

Nonnunquam tamen ipsi scriptores videntur neglexisse illud discrimen, quod inter provocationem ad spondendum, et ipsam stipulationem interest. (In quo incili haesit etiam Ernestus in nota ad Ciceron. ad Div. VII. 21., ubi etiam illud, quod de coniunctivo in omnibus exemplis huius formulae usitato dicit, non omnino verum est. Loci enim a me in hoc libello notati, inprimis autem ille Plautinus in Epid. V. 2, 35. perspicue docent,

nonnunquam etiam indicativum reperiri.) Cuius negligentiae exemplum Gellius V. 4. offert, qui cum ab usitata dicendi consuetudine recessisset, fecit, ut interpretes de veritate lectionis dubitarent, eamque ad usitatam normam refingere studerent. Quod quidem Gronovius recte et perite, sed contra voluntatem auctoris, conatus est. Res enim satis salvae sunt, modo id teneamus, Gellium brevitatis studiosum, *in quodvis pignus vocabat*, negligentius scripsisse, pro *in quodvis pignus condicebat*, sive *quodvis pignus promittebat*. Ita enim res acta videtur. Grammaticus affirmat reperiri mendum, librarius negat, et bonitate causae suae confisus tam firmiter perstat in sententia, ut quasi iam pigrore provocatus spondeat *si in una uspiam littera delictum sit.*

Denique exemplum erroris ab interprete commissi a Kappio licet repetere, qui in loco Valerii Max. II. 8, 2. (quod Hotomannum ad Cic. pro Quint. c. VIII. fugisse miror) recte vidit, verba illa: *Non se petiturum triumphum*, a textis aliena esse; sed minus bene a Quinto Valerio praetore stipulationem sic factam esse dicit: *Visne tu, Lutati, spondere, ni tuo ductu Punica classis sit oppressa?* cum necessario ita interrogasse eum oporteret: *spondesne, si meo ductu* etc. Quam veram fuisse rogationem Kappium docere poterat Sigonius, qui sponsionis faciendae rationem hoc ipso exemplo illustravit, de iudiciis I. p. 721. ed. Mediol.

Veruntamen non circumscribitur solemnis illarum vocularum usus et provocationis et stipulationis finibus, sed latius patet atque ibi etiam dominatur, ubi de sponsionis iudice sermo est; idque merito, quandoquidem iudicem, sive datum illum sive electum, oportebat litem dare secundum conditiones illas, quibus litigantes aut sponsione obligati erant, aut ad iudicem provocaverant. Quotiescunque enim Romani controversiam, vel serio vel ioco agitatam, aut in iure aut extra illud decidi volebant, postulabant iudicem. Hunc, cum res iudicio agenda erat, praetor dabat his verbis: *Iudex esto, si paret — condemna:* cum ex compromisso litigabant, is, qui rem ita esse affirmabat, iubebat alterum ferre iudicem,

a quo, *ni* ita esset, condemnaretur. En tibi rursus illas voculas, pro diversitate quidem actionum et iudicum varie usurpatas, sed causis litigantium scite accommodatas! Praetor enim vult damnari reum, *si* actor verum dixisse reperiatur: compromissor autem, qui a negante ad arbitrum adigitur, vult etiam quasi pro reo condemnari, *ni* verum sit, quod defendat.

Ex his, quae hactenus disputavimus, elucere arbitramur, Romanos istis voculis in sponsionibus quibuslibet, non solum pro arbitrio, quod naturae repugnat, non usos fuisse, sed singulas singulis personis atque causis tanta sermonis constantia et iusto ordine alligasse, ut a more recepto nunquam recederent. Utebantur igitur semper in provocando ad sponsionem, vel ad iudicem aut arbitrum, vocula *ni*. Stipulatio et sponsio ipsa fiebat cum particula *si*; restipulatio et responsio cum opposita *ni*. Praetor denique iudicem dabat cum particula *si*.

Sed hunc locum opportunum esse duco, quo definiri possint accuratius variarum super rebus ad sponsionem pertinentibus loquendi formarum significationes, quas nusquam satis diligenter explicatas et sedulo distinctas reperi. Facillima autem istarum phrasium definiendarum ratio ea nobis videtur, quae ex ordine, quo singula a spondentibus transiguntur, proficiscitur. Ac primum quidem omnium provocatio est, quam ubi scriptores ab aliquo fieri narrant, dicunt eum aut *in pignus vocare*, vel *sponsione provocare* s. *lacessere*, *zur Wette auffordern*: (Nam *lacessere sponsione* et *facere sponsionem* non idem significare, apparet e Verr. III. c. 57., ubi cum Tullius dixisset: *P. Rubrius Qu. Apronium sponsione lacessivit*, haec subiungit: *sedasti etiam lites illorum, et sponsio illa ne fieret, laborasti.)* aut per metonymiam consequentis *ad arbitrum vocare*, vel *iubere ferre* s. *dicere iudicem* (Liv. III. 24, 56 et 57.); ubi vero provocantis orationem referunt, loquentem eum ita introducunt: *da pignus, cedo cum quo habeam s. capiam iudicem*, *roga me aliquid* (Plaut. Epid. V. 2, 34. Mostell. III. 1, 30. Rud. V. 3, 24. Pseud. I. 1, 112. 113.), *willst du wetten, lass uns wetten.*, Provocationem sequitur consensus, quem

ita significant, *cum aliquo pignus contrahere*, *dare*, *ponere* (Plaut. Persa II. 2, 6. Bacchid. IV. 9, 133. Val. Max. IV. 3, 3. ext.), *die Wette eingehen.* Consensum sequitur sponsio, quae stipulando et restipulando fit. Itaque in ea re vel iisdem utuntur verbis, vel ita loquuntur: *sponsionem facere cum aliquo* (Cicero passim. Gell. XIV. 2.), *die Wette anstellen.* Sponsionem excipit ipsum coram iudice vel arbitro dato certamen, quod ita exprimebant: *certare pignore* s. *sponsione*, *contendere sacramento* (Virg. Ecl. III. 31. Cic. ad Div. VII. 32.), *einen Streit nach angestellter Wette führen.* Denique causa utrinque dicta, vel *vincere sponsionem* s. *sponsione* (Cic. pro Caecin. 31. pro Quintio 26.) vel *eius condemnari* litigantes dicebantur, pro ea parte, secundum quam iudex sive arbiter litem dederat; *die Wette gewinnen oder verlieren.*

Harum igitur dicendi formarum discrimina, si clare pervidisset Garatonius, non ita perturbasset sententiam loci Tulliani in Verr. V. 54., ut ad explicationem eius intelligendam Oedipo coniectore opus sit. Sed narratio Tullii neutiquam obscura est. Servilius locutus erat liberius de Verris improbitate et nequitia, ideoque haud dubie etiam de furtis, quae maximam dabant criminandi materiam. Cuius maledicentiae ut acerbas a Servilio poenas sumeret, instituit idem furti crimen Servilio inferre, ideoque, *cum nemo ageret*, *nemo postularet*, h. e. cum nemo Servilium in ius vocaret litemque ei intenderet, coepit cogere hominem, quasi exorta iuris controversia, *sponsionem facere cum lictore suo*, h. e. accipere provocationem a lictore Verris ita faciendam: *ni furtis quaestum faceret*, h. e. ni verum esset, *quod Servilius furtis quaestum faceret.* Id quod Servilius de Verre aut dixerat, aut dixisse insimulabatur. Sunt igitur illa verba: *ni furtis* etc. non stipulantis Servilii, quod Garatonius statuit, neque etiam spondentis, quod idem negat; sed lictoris Verris nomine provocantis. Volebat enim Verres Servilium provocari a lictore suo ad pignus dandum, quo illum iniquis iudicibus, de sua cohorte datis, facilius damnare posset. Mortuus autem Servilius

est ante stipulationem, quae ita institui debebat: Lictor: *Spondesne, Servili, HS duo millia, si tu* (quod ego affirmo et tu negas) *furtis quaestum facis?* Servilius: *Spondeo, si etc.* Tum Servilius: *Tu vero, lictor, spondesne, ni etc.* Lictor: *Spondeo, ni etc.*

Iam cum satis operae et laboris in maxima temporis egestate impendisse nos rei impeditae ac difficili videamur, liceat nobis hic vasa colligere et ex ea, quae in manibus fuit, materia auferre aliquid ad fulciendas antiquas illas aedes, quarum custodiam a multis annis sponte suscepimus. Plautinas intelligimus fabulas, ad quas, uti e ceteris ingenii nostri occupationibus, ita etiam e praecedentium verborum explicatione redundare aliquid utilitatis volumus. Est vero locus in Rudente V. 3, 19—27., cui illustrando ea, quae superius tradidimus, haud parum inservire arbitramur.

Gr. Cedo sis mihi talentum magnum argenti, periurissime.
Dae. Gripe, quod tu istum talentum poscis? *Gr.* Iuratu 'st mihi
Dare. *La.* libet iurare. tun' meo pontifex periurio es?
Dae. Qua pro re argentum promisit hic tibi? *Gr.* si istum vidulum
In potestatem eius redegissem, iuratus est dare
Mihi talentum magnum argenti. *La.* cedo quicum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam haud dum siem
Quinque et viginti annos natus. *Gr.* habe cum hoc. *La.* alio'st opus.
Dae. Iam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.

Disceptatur inter duos de pecunia ex pacto solvenda; quam cum is, a quo petebatur, debere se negasset, petitor ob iuratam promissionem eo certius sibi deberi contendit, reumque, non flocci facientem ipsius iurisiurandi religionem, periurissimum appellat. Huius altercationis testis senex, causam servi sui defensurus, interrogat: *Gripe, quid tu istum talentum poscis?* hoc est breviter dictum pro: *quid hoc est, quod tu etc.* in qua locutione *quod* idem valet ac *ob quod*, *quare*, *cur*, ut Stich. I. 2, 70. Mostell. III. 2, 61.) Servus causam petitionis in iureiurando gravissimam esse existimans respondet: *iuratu 'st mihi*; sed elevatur ea Labracis improbitate, qui lenonii ingenii memor (V. 2, 69.) *libet iurare* ait, statimque ad senem conversus eum sic increpat: *tun' meo pontifex periurio es?* Quibus verbis alieni negotii

curam exprobrari seni in promptu est; illud minus patet, cur isto maxime modo animi sui sententiam expresserit. Nam quae omnium veri simillima videri possit interpretatio Gronovii, hanc sententiam illis verbis subiectam esse statuentis: *tibine ob id, tamquam pontifici, debetur sacramentum?* ea doctrinae fallit specie, veritatem autem propterea nullam habet, quod sacramento nullus in pacto illo convento locus fuerat. Sacramentum enim, ut constat, dicebatur certa pecunia a litigantibus post edictam actionem, vi mutuae sponsionis in iure factae, apud pontifices deposita, eorumque aerario ab iis, qui causa ceciderant, commissa (v. *Schreiter Sacramentorum — antiquitates* I. §. 3.). Non igitur usus erat sacramenti extra civilem actionem, quae quidem ab illis altercatoribus nec instituta erat, quia nulla praecesserat in ius vocatio, sed mera altercatio de iure fiebat: nec institui poterat, quippe inter servum et libertum: nec si ambo liberi fuissent, locum habuisset, quandoquidem nullo contractu proprie sic dicto, sive nominatum cogites, sive innominatum, obligati erant, sed ita tantum inter se convenerant: *faciam ut des;* de quo paciscendi modo in fr. 5. §. 3. D. 19. 5. diserte dicitur: *quodsi faciam ut des, et posteaquam feci, cessas dare, nulla erit civilis actio et ideo de dolo dabitur.* Itaque non potuit ob depositum sacramentum pontificis cogitatio lenonem subire, sed propter insimulatum periurium; qua causa nullam propiorem et veriorem esse existimo. Hoc enim crimine pressus leno, etsi ipsam culpam periurii adeo nihil moretur, ut ipse eam maxima oris duritie confiteatur, aegre tamen fert eius opprobrium ab homine alieno sibi factum; quem ut temerariae sedulitatis commonefaciat, interrogat per ironiam, an pontifex sit. Ex quo apparet, pontificis hic loci non ex alia ratione mentionem fieri, quam quia solis his de periurio cognoscendi et iudicandi legitima erat potestas, data ea quidem pontificibus cum summa religionum cura et rerum sacrarum custodia; quarum eos interpretes etiam eatenus fuisse Cicero docet, quatenus responderint, *quanto aut quo scelere aliquis esset pollutus.* De harusp. respons. c. X.[9]).

Leno igitur haud dubie id dicere vult: oportere se periurii opprobrium, si a pontifice, viro genere, loco et dignitate nobili, earumque rerum iudicandarum potestate praedito, fiat, tacitum pati; Daemonem autem nequaquam eum esse hominem, qui eam contumeliam, si facere ausus fuerit, a se ferat tacitam. Quod verum esse sentiens Daemones intactum relinquit periurium, et solam promissionem inquirendo exsequitur. Quam sibi iuratam esse cum servus dicere perrexisset, leno iam ad causam suam iure agendam actionemque in personam instituendam accingitur: *cedo, quicum habeam iudicem, ni dolo malo etc.* His verbis Plautus insigne iurisprudentiae suae dedit documentum. Ut enim lis inter servum et lenonem de obligatione ex promisso orta legitimo modo decerneretur, necesse erat, ut servi loco, quia caput non habebat, et in quem obligatio non cadebat, substitueretur civis Romanus, qui eius rem ageret vicemque gereret. Postulat igitur leno dari sibi aliquem, cum quo iure agere possit, servoque dominum offerenti: *habe cum hoc*, respondet: *alio opus est;* quippe cum bene praevideret, ipsum dominum pro servi peculio acerrime esse propugnaturum. Id quod statim etiam accidit. Daemones enim hoc sui contemtu offensus, neque alium, praeterquam se, servi advocatum passurus, et non expectans, dum res ad arbitrum vocetur, paratae praedae spe abreptus ultro se arbitrum interponit, servi sui ita studiosum, ut secundum eum litem se daturum esse ante causae cognitionem polliceatur. Hoc enim sibi volunt verba illa: *Iam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero;* a nemine adhuc satis intellecta et explicata. Convertit enim Daemones se ad Gripum tacitaque voce promittit, se hodie ab eo non abiudicaturum esse triobolum. Nam idem ea verba significant, quasi dicat: non patiar te ab isto abire, priusquam condemnatus sit. Scilicet post *sinam* excidisse videtur *te*, et versus ita scribendus esse: *Iam ab isto auferre haud sinam te, ni istum condemnavero.* Ita vero pro *abire* dicere Plauto usitatum est. Rud. IV. 3, 105. *Aufer te modo.* Asin. II. 3, 63. *Aufer te domum.* Exinde iam non moderate et ordine, sed cum

terrore ac tumultu a Daemone agitur, qui dum arbitri pariter atque petitoris personam gerit, eam litis dirimendae viam ingreditur, quae nullam habet in iure facultatem atque rationem. Sed illud rursus e medio iure depromtum est, quod Plautus Labracem fingit exceptionem facere doli mali et circumscriptionis adolescentium lege Plaetoria. De quibus exceptionibus uberius dicere longum foret [10]). Sed, quod ad ipsam formulam attinet, hoc praeterire nequeo, eiusmodi exceptiones in iure faciendas pendere ab omissis aliquibus verbis ad iudicem spectantibus, qualia fere haec sunt: *quo iudice litem amittam s. pignoris damnabor s. condictum praestabo;* quibuscum addita conditio per particulam *ni* ea, quam supra exposui, ratione vera et necessaria rectissime copulatur. Alia autem ratio est earum exceptionum, quae ipsius sponsionis verbis includuntur, in quibus istae voculae *si* et *ni* non indicant conditiones, quibus spondetur, sed determinant eas, et sunt quasi conditiones conditionum. In quam rem, ut eorum voluntati satisfiat, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi demonstratum est, nequeunt cognoscere, utamur exemplo a Sigonio proposito, sed non dilucide exposito p. 723. Sponsio enim cum exceptione coniuncta ita debet procedere: *Spondesne, si hereditas mea sit, ni testamentum prodatur? Spondeo, si hereditas tua sit, ni testamentum prodatur. Tu vero spondesne, ni hereditas tua sit, ni testamentum prodatur? Spondeo, ni hereditas mea sit, ni testamentum prodatur.* Quemadmodum igitur in iudice propter exceptionem ferendo, ita etiam in sponsione cum exceptione coniuncta, formula a reo stipulandi concipi debebat, erravitque haud dubie Sigonius, quod restipulationem stipulationi anteposuit.

ADDITAMENTA.

Argutissime de eadem re, quam superius tractavimus, praecepit Gaius in Institutionum Commentariis; quos ne quis a nobis aut negligentia praeteritos, aut furtim expilatos esse existimet, monendum duximus, eos e diuturnis

illis tenebris, quibus occultati iacebant, serius, quam illa scripseramus, in lucem fuisse evocatos. Quo quidem ingenti Romanae antiquitatis lumine si prius uti licuisset, faciliorem sane atque planiorem investigandae veritatis viam ingressi essemus, et multa rectius planiusque exposuissemus; sed factum quoque fuisset, ut inopinatae felicitatis, qua nonnulla nobis cum Gaio conveniunt, gratissimo sensu careremus.

1) Posteriori modo oriebatur Romana verborum obligatio, quam constat nunquam ultro, semper responsione congrua ad praecedentem interrogationem contrahi, eamque interrogationem et responsionem saepe communi vocabulo stipulationis vel sponsionis comprehendi. A quibus accurate discernuntur *pollicitationes*, de quibus in Pandectis peculiaris est titulus, et quae non aliter vim aliquam habebant, quam si in gratiam alicuius civitatis essent factae.

2) Memoratu sunt dignissima, quae Gaius in Institutionum Commentariis lib. III. de vocabuli *spondeo* usu civium Romanorum proprio exposuit. Ibi enim haec leguntur §. 92: „Verbis obligatio fit ex interrogatione et responsione, velut: *dari spondes? spondeo; dabis? dabo; promittis? promitto? fide promittis? fide promitto; fide iubes? fide iubeo; facies? faciam.* §. 93. Sed haec quidem verborum obligatio: *Dari spondes? spondeo*, propria civium Romanorum est: ceterae vero iuris gentium sunt: itaque inter omnes homines, sive cives Romanos, sive peregrinos, valent. Et quamvis ad Graecam vocem expressae fuerint, velut hoc modo: (*δώσεις; δώσω· ὁμολογεῖς; ὁμολογῶ· πίστει κελεύεις; πίστει κελεύω· ποιήσεις; ποιήσω*); haec tamen etiam inter cives Romanos valent, si modo Graeci sermonis intellectum habeant; et e contrario quamvis Latine enuntientur, tamen etiam inter peregrinos valent, si modo Latini sermonis intellectum habeant. At illa verborum obligatio: *Dari spondes? spondeo*, adeo propria civium Romanorum est, ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem proprie transferri possit; quamvis dicatur a Graeca voce figurata esse. §. 94. Unde dicitur

uno casu hoc verbo peregrinum quoque obligari posse, velut si Imperator noster Principem alicuius peregrini populi de pace ita interroget: *pacem futuram spondes?* vel ipse eodem modo interrogetur. Quod nimium subtiliter dictum est; quia si quid adversus pactionem fiat, non ex stipulatu agitur, sed iure belli res vindicatur."

3) Pignus non intelligo id, quod proprie a Iureconsultis dicitur, hoc enim in sponsionibus locum non habuit, sed de qualibet re, qua fidem facimus, cum vulgo accipio. Hoc latiori sensu acceptum illud a Plauto est, qui in locis, ubi *pignoris* mentionem fecit, videtur *sacramentum* intellexisse; in quo ille pecuniam deponendam aut praedes dandos potuit minus subtiliter pignoris nomine appellare. Ceterum notabilis est similitudo sponsionum cum antiqua sacramenti actione. Ita enim Gaius lib. IV. §. 13. *Sacramenti actio generalis erat: de quibus enim rebus ut aliter ageretur lege cautum non erat, de his sacramento agebatur, eaque actio perinde periculosa erat* ************ *atque hoc tempore periculosa est actio certae pecuniae propter sponsionem, qua periclitatur reus si temere neget, et restipulationem, qua periclitatur actor, si non debitum petat. Nam qui victus erat summam sacramenti praestabat poenae nomine; eaque in publicum cedebat, praedesque eo nomine Praetori dabantur, non ut nunc sponsionis et restipulationis poena lucro cedit adversario, qui vicerit.*

4) Similiter atque in sacramenti actione, cuius Gaius lib. §. 16. hanc formulam profert: *Quando tu iniuria vindicavisti* (sc. hominem), *D aeris sacramento te provoco. Adversarius quoque dicebat: similiter ego te.*

5) Hanc rem Hauboldus in Commentatione in locum de Interdictis in Veronensi MSto (*s. Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft III. Band S.* 386) ita declarare studuit: Die Form der Sponsio war übrigens, soviel sich aus einer Anspielung bey Cicero (p. Caec. 23.) und einem Beyspiele bey Valer. Maximus (II. 8. §. 2.) schliessen lässt, diese: Dass der Theil, welcher eine Thatsache für sich anzog, also z. B. hier der Beklagte, welcher behauptete den Kläger wieder

eingesetzt zu haben, zu einer als Strafe zu erlegenden Summe sich verpflichtete, wofern die behauptete Thatsache nicht wahr seyn würde (*ni* actor restitutus ex edicto Praetoris esset); wogegen der Gegner ihm eine gleiche Summe zusicherte, wenn sie wahr seyn sollte (*si* restitutus esset)." Multis exemplis hoc discrimen formularum illustratur a Brissonio lib. V. c. 1. p. 352. ed. Bach.

6) Ut in illo loco Gaii lib. IV. §. 165. „Nam actor provocat adversarium sponsione *si* contra edictum Praetoris *non* exhibuerit, aut *non* restituerit: ille autem adversus sponsionem adversarii restipulatur."

7) Consentientem mecum inveni Gaium, qui lib. IV. §. 93. ita: *Per sponsionem hoc modo agimus: provocamus adversarium tali sponsione: Si homo, quo de agitur, ex iure Quiritium meus est, sestertios XXV numos dare spondes?*

8) Quae super hoc Ciceroniano loco diximus probari etiam Excell. Carolo Beiero, collegae nostro coniunctissimo, quem nunquam convenimus, quin doctiores discedamus, hoc magis gavisi sumus, quo maiorem acutissimi et literatissimi grammatici subtile iudicium auctoritatem habere debet apud eruditos viros, quos ille exquisitissimis supplementis quasi rimas nostrae disputationis explendo sibi novo munere devinxit.

9) Nostram propositam sententiam confirmare videtur vetus ad Virgilium scholiasta in Barthii Adversar. XXXIII. 13. qui ait: Numam Pompilium cum sacra Romanis conderet, voto impetrasse, ut omnes dii falsum iuramentum vindicarent. Cf. Iusti Specimen Obss. crit. c. 11. Viennae 1765. 4. et Stockmannus ad Bachii Histor. Iuris. p. 12. ed. novissimae.

10) Huic loco de exceptionibus antea satis obscuro clarissimum lumen adhibuit Gaii solertia, qua factum est, ut iam disertim eam rem persequi supersedere facile possimus. Illustrantur ea, quae de loco Plautino diximus, potissimum his Gaii verbis (lib. IV. §. 119.): „Omnes autem exceptiones in contrarium concipiuntur, quia adfirmat is, cum quo agitur. Nam si verbi gratia reus dolo malo aliquid actorem facere dicat, qui forte pecuniam

petit, quam non numeravit, sic exceptio concipitur: *Si in ea re nihil dolo malo Auli Agerii factum sit, neque fiat.* Item si dicatur contra pactionem pecunia peti, ita concipitur exceptio: *Si inter Aulum Agerium et Numerium Negidium non convenit, ne ea pecunia peteretur.* et denique in ceteris causis similiter concipi solet; ideo scilicet, quia omnis exceptio obiicitur quidem a reo, sed ita formulae inseritur, ut conditionalem faciat condemnationem, id est, ne aliter iudex eum, cum quo agitur, condemnet, quam si nihil in ea re, qua de agitur, dolo actoris factum sit; item ne aliter iudex eum condemnet, quam si nullum pactum conventum de non petenda pecunia factum erit." Ex ea, quam Gaius commemoravit, causa in Pandectis quoque exceptiones saepissime per particulam *si* sequente *non* expressae reperiuntur. e. g. L. 14. D. de Public. in rem act. (VI. 2.) „*Si non auctor meus ex voluntate tua vendidit.*" L. 17. D. eod. „*Si ea res possessoris non sit.*" L. 9. §. 2. D. de except. rei iudicatae. (XLIV. 2.) „*At si ea res iudicata non sit inter me et eum cui vendidisti.*" L. 24. eod. „*Si non eius sit res.*" Cfr. Brisson. de Formulis lib. V. c. 75. p. 383.

VIII.

DE PLAUTO HYBRIDARUM VOCUM IGNARO.

In praecipuis fructibus e Plauti comoediis ad latini sermonis copiam et dictionis varietatem redundantibus merito referendum esse magnum eorum vocabulorum numerum, quae illi propria et peculiaria sunt, nemo ibit inficias, qui non solum cognitum habet, quantum ad omne genus eloquentiae, hoc est, ad apte, perspicue et ornate de unaquaque re dicendum commoditatis conferat quam maximus verborum delectus, sed etiam magnam opportunitatem intelligit, quam Plautinus potissimum sermo multis partibus ad usum vitae communis praebeat. Quo quidem locupletissimo genuinae latinitatis penu quominus multi facile et libenter utantur, praeter alias causas id quoque impedire mihi videtur, quod in vocabulis ab uno Plauto discendis haud pauca sunt, quae in fabularum eius reliquiis semel tantum occurrant, et vel inusitata forma sua suspicionem erroris, a librariis commissi, moveant, vel propter dubiam significationem audacter adhiberi posse neutiquam videantur. Licet vero eiusmodi vocabulorum temerarius usus maxime vitandus sit; tamen in promtu est intelligere, aeque cavendum esse, ne delicato illorum fastidio uberrimum proprie scribendi dicendique fontem ipsi nobis praecludamus, sed sedulo

curandum, ut illorum aut mira specie vel explicanda, vel corrigenda, aut obscura et involuta potestate dilucidanda nostram latine disserendi facultatem amplificemus. Ita enim non solum integritati Plautini sermonis, sed omni omnino latinae orationi optime consulitur, cuius aciem, poëtae verbis utor, ut contra conferre ubivis recte et commode possimus, quam plurimis dictionum copiis, praesertim in tanta latini sermonis paupertate, opus habemus. Atque haec causa fuit, cur nostrum quoque animum ad talium vocabulorum, quae sola semel a Plauto usurpantur, interpretandorum curam nuper intenderemus, et laboris difficultate instigati potius, quam deterriti, inceptum iter nunc quoque pergere statueremus. Nempe in vocabulis a Plauto semel dictis reperiuntur aliqua, quae non solum per se et propter se diligentiorem originis et significatus desiderant indagationem, sed etiam ob exempli, quod novorum verborum inventores inde capiunt, auctoritatem non quasi populari trutina, sed aurificis statera subtilius examinanda videntur. Ea ad illud vocum genus referuntur, quas hybridas grammatici appellant; quo quidem miro et inepto cognomine male seduli illi excusatius uterentur, nisi eadem opera rectum de natura verborum iudicium corrumperent, falsaque rerum imagine temeritatem aliorum lacesserent eique velificarentur. Nam, nisi nos omnia fallunt, vana illa de hybridis vocibus opinio praecipuus fons habenda est, unde sermo iste fluxit inquinatissimus, quo nunc omnium paene disciplinarum magistros hortulos suos irrigare, discipulorumque suorum memoriam ita imbuere videmus, ut germanae eloquentiae ruina vix alio remedio sisti queat, quam eo, ut verae latinitatis studiosos dirigere suum novandorum vocabulorum studium ad probatissimorum auctorum normam et similitudinem iubeamus, admoneamusque, ne fines, quibus illi libertatem suam circumscriptam habuerunt, licenter excedant et omnes lineas transiliant. Enimvero ea solida et grandis licentia est, peregrinum atque vernaculum vocabulum in unam vocem coniungere, a qua audacia optimi quique scriptores ita abhorruerunt, ut ante Octaviani Augusti tempora,

et aliquamdiu post, nullum tantae temeritatis vestigium in latinis libris, qui aetatem tulerunt, reperiatur. Cui nostrae sententiae non repugnant pauca illa exempla a Quinctiliano et Macrobio proposita, quippe quorum alia seriorum temporum figmenta sunt et auctoritate carent, alia e veteribus scriptoribus, Plauto scilicet et Iuvenali, depromta, specie quidem fallunt, re ipsa haudquaquam in monstris illis vocabulorum censenda sunt, quibus agrum Romanum diutius vastari meritum doctorum virorum opprobrium est; ad quod demonstrandum nunc proficiscimur.

BACCHID. IV. 4, 69.

— — — — *ubi est biclinium*

Vobis stratum?

Huius loci memoria Quinctiliani obversabatur animo, cum haec scriberet: *Iunguntur autem* (vocabula) *ex nostro et peregrino, ut biclinium.* Inst. Or. I. 5. Et profecto nihil apertius videtur, quam latinam atque graecam vocem in hoc vocabulo similiter esse compositas, ac Veneri placere dicit Horatius impares formas atque animos sub iuga aenea saevo mittere cum ioco. Sed videtur tantum. Non magis enim *biclinium* in numero hybridarum vocum, quam *triclinium* pro graeco vocabulo ducendum est. Nam cum omnino nulla lingua earum gentium, quibus non omne loquendi audiendique commercium cum aliis vel natura loci vel legibus ademtum fuit, a sola stirpe sua propagata sit, sed omnes, quas novimus, aut casu fortuito, aut consilio hominum, aut necessitate usus incrementa ab alienis linguis ceperint; mature factum est, ut multa vocabula multis populis essent communia, quae si duos populos vel a sanguine iunctos, vel mente propiores, vel alio vinculo affines comparaveris, verosimile quidem est ab altero, cui prius fuerint cognita, ad alterum esse translata, neque tamen necesse est, ut eidem a principio propria essent ac nativa, quoniam fieri utique potuit, ut ex peregrino, sed obliterato. fonte ista vocabula manaverint. Sed quoniam in indagandis

artium humanarum originibus supra memoriam literarum monumentis impressam secure proficisci non licet, cogimur primam vocabulorum quorumque inventionem eorum populorum ingenio tribuere, quos in vetustissima illorum possessione et vulgari usu versari videmus, atque exinde alia vocabula latina, alia graeca appellare, non quia de ultima eorum stirpe exploratum habemus, sed quia in dubitando modum, in statuendo maxime probabilem rationem retinendam putamus. Quemadmodum vero plantas atque arbores, e peregrinis terris in patriam nostram transductas, ubi mutati coeli naturae adsuescere coeperunt, pro domesticis ducimus: aut homines civitatis iure donatos non peregrinos, sed nostros vocare solemus: ita etiam peregrina vocabula in formam ac speciem patriae linguae ad oris nostri habitum figurata, et sermone vulgi recepta, iure meritoque nostra censenda sunt, nisi forte omnia, quorum non ipsi auctores sumus, pro alienis fastidiose contemnere et paupertatem nostram supercilio philosophico palam ferre maluerimus. Ita fit, ut eaedem voces, si originem spectes, externae, sin usum observes, propriae dicendae sint. Cuius generis vocabula, quia se in consuetudinem cum nativis verbis penitus immerserunt, eodem cum illis iure gaudere debent. Atqui hoc graeco vocabulo κλίνειν accidit, quod Latini *clinare* dicunt, quodque subiunctum praepositionibus ad varia verba et nomina effingenda adhibuerunt, veluti *declinare*, *inclinare*, *acclinis*, *declinis*; quae nemo est, qui peregrinitatis vitio laborare dixerit. Annon igitur calumnia est accusare peregrinitatis vocem *biclinium*, illis quas diximus cognatam et ab eodem vetusto Latii colono ortam! Nam quod Latini caruerunt simplici nomine, quod graeco κλίνη affine esset, id impedire non potuit, quo minus a verbo *clinare* derivarent substantivum compositum, eodem fere modo, quo ab aedifico *aedificium*, a praecipito *praecipitium*, ad significandum lectum, quo *bini clinare* corpora possent. Idem mihi statuendum videtur de *triclinio*, cui simile quidem habent Graeci τρίκλινον: sed cum raro eo et vix aliter, quam si de rebus Romanis loquuntur, utantur, Romanis contra frequens eius vocis

usurpatio sit, plus mihi quam verosimile est, Romanos ultro et domi doctos locum, in quo *tres clinare se* possent, *triclinium* dixisse, idque vocabulum quasi postliminio ad Graecos eo facilius rediisse, quia iam dudum adiectivis *τρίκλινος*, *ἑξάκλινος* sc. *οἶκος* utebantur.

AULUL. III. 5, 42.

Strophiarii adstant, adstant semizonarii.

Recensentur hic *semizonarii* in grege artificum in munditia et cultu muliebri apparando occupatorum, et scite a *strophiariis* distinguuntur, quandoquidem zona medium corpus cingebatur, strophio autem papillarum tumor cohibebatur. Quam similium rerum differentiam non ab omnibus intellectam fuisse Boettigerus in Sabina II. p. 114. monuit. Hos igitur zonarum factores, quos Latini *zonarios* appellabant (Cic. pro Flacc. 7.), Plauto semizonarios vocare placuit, pro more poëtarum, quo formarum nomina cum aliis de causis, tum propter aliquam nobilitatem, cum nominibus generum permutantur. Quare vero haud absimile est, inter ceteras zonarum formas, eas, quae semizonae dicerentur, tum temporis maxime nobilitatas fuisse. Quae quidem qualem figuram habuerint etsi propterea dubitari potest, quod e notatione non intelligitur, utrum ratione longitudinis an latitudinis iusta zona fuerint minores, hoc enim verbum in utraque re poni potest; tamen id apertum est, ob eam causam, quod integris et usitatis dimidio breviores essent, dictas fuisse semizonas, earumque artifices semizonarios. Iam id vocabulum inter hybridas voces a Lexicographis refertur eadem iniuria, qua biclinium, imo adeo maiore, quoniam non solum graeca vox zona a Romanis longo usu in familiaritatem et civitatem recepta erat, sed ipsa etiam terminatio *arius* a graecae linguae consuetudine abhorret. Nam Graecis solemne fuit ad istorum sonorum et literarum similitudinem fingere vocabula, quibus pro integro nomine diminutum ponerent, ut *κυνάριον*, *ἱππάριον*, *παιδάριον*; sed huius figurae adiectiva a substantivis nata formare plane omiserunt. Itaque nihil obstat, quominus Latini hanc vocem *semizonarius* tanquam suam

popularem liberali causa manu asserant, eiusque originem suae solum patriae vindicent. Quod enim Graecis licuit similem vocem ἡμιζώνιον, sed dubiae etiamnunc auctoritatis, fingere, id pertenue argumentum est, quo Romanos erroris in componendo vocabulo commissi accuses, inscitiaeque in vocabulis fabricandis insimules.

MENAECHM. PROL. 13.

Huic argumento antelogium hoc fuit.

Cum vocabulum *logus* antiquo Latinitatis iure gaudeat, non possum a me impetrare, ut *antelogium* pro hybrida voce agnoscam, et minus latinum esse dicam, quam *anteloquium.* Utrumque aeque bene dicitur, ut nec hic loci hoc pro illo, nec alibi, ut Meursio ad Macrob. Sat. I. 24. et VII. 4. visum fuit, illud pro hoc scribendum sit. Intercedit enim duo ista vocabula eadem familiaritas, quam observamus in vocibus *proloquium*, et, qua Pacuvius olim usus est, *prologium*, item in *eloquium* et *elogium.* Quo quidem postremo exemplo ita compositorum nominum germana latinitas plane evincitur. Nam maximas nugas egisse grammaticos, qui *elogium*, graecis plane indictum vocabulum, aut ab ἐλεγεῖον ut Salmasius et Riemerus, aut ab ἐλλογεῖν, ut Casaubonus et Vossius, aut ab ἐκλέγειν, ut Cellarius, Turnebus, Muretus, derivarent, aut *eulogium* cum Aldo nepote et Henr. Stephano scribendum putarent, vel inde satis apparet, quod significationes, quae istis verbis propriae sunt, difficulter cum potestate vocis *elogium* conciliari possunt. Quodsi vero sumimus hoc vocabulum e latina praepositione et nomine *logus*, quod utrique linguae commune est, et *orationem* significat, fuisse compositum, *elogium* ab origine sua id notavit, quod ex ore dicentis exierat, *dictum quodlibet*, *ein Ausspruch*, atque non videtur diversam a simplici nomine habuisse significationem, quam compositis vocabulis vel probatissimos scriptores haud raro tribuisse constat. (vid. Daumius de causis amissarum quarundam latinae linguae radicum. Cap. II.) Quae generalis significatio mox in specialem abiit, ut *memorabile* indicaret *dictum*, e. g. Solonis elogium.

Cic. Cat. Mai. 20, 6. Censorium elogium. Cic. in C. Sall. c. 6. Tum quia ea, quae literis mandantur, memoriae diutissime commendantur, elogium coepit significare *dicti memoriam literis consignatam, eine Aufschrift.* Cuiusmodi sunt *elogia* statuis, imaginibus, sepulcris aliisque monumentis ac rebus, maxime operibus artificiosis inscripta; veluti foribus apud Plautum Mercat. II. 3, 74. *impleantur meae fores elogiorum carbonibus.* Haec vocabuli potestas, quae pro titulo vel inscriptione valet, vulgaris est et optimis quibusque scriptoribus usitatissima, e. g. Ciceroni in Pison. 29. extr. Catoni apud Gellium III. 7. Sed cum eiusmodi titulis hoc proprium sit, ut causas monumenti publici laudatis viris positi breviter et summatim indicent, vox elogium accepit duas alias significationes et notare coepit *breve et publice propositum indicium causae*, cum eius, ex qua quis reus ageretur, ut Suet. Calig. 27; tum eius, quare aliquis in testamenti tabulis haeres institutus esset, nec ne; ut Cic. pro Cluent. 48. Quinct. Inst. Orat. VII. 4, 20. Declamat. II. 15. Senec. Controv. II. 15. Laudis vero notionem non nisi pessundatae latinitatis auctores huic vocabulo subiecerunt, quorum exemplum imitati Galli sunt, in societatem regni pariter atque linguae everso Romanorum principatu adsciti, qui in sermone suo elogium cum sola vi laudationis retinuerunt. In scriptoribus autem latinis, qui elegantiam et sinceritatem sermonis custodiverunt, elogium nunquam per se vel laudem, vel vituperium, significat, quamquam propter integrorum locorum, in quibus occurrit, sententiam alterutro vocabulo reddi potest. Nam ne Suetonio quidem, aut qui alius vitae Horatii auctor fuit, sic usurpatum censeo vocabulum elogium, sed verba illa: *tali ad Augustum elogio* ita interpretor: *in parte sive capite testamenti ad Augustum pertinente, ubi talia leguntur.* Sed revertor, unde profectus sum, fretusque ipsius Ciceronis proprietatis in lingua patria tenacissimi auctoritate, qui in tertio de Fin. libro c. 2. *Quamquam ea verba*, ait, *quibus ex instituto veterum utimur pro latinis, — — quamquam latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu recepta sunt, nostra*

ducamus; contendo *antelogium*, *prologium* et *elogium* non magis esse e latina praepositione et graeco nomine composita vocabula, quam *postscenium*, quo Lucretius IV. 1180. usus est. Nam quod Vossius in Etymologico statuit finxisse Plautum vocem hybridam *antelogium* ioci gratia, id sane nemo crediderit, nisi qui forte omnem vim et naturam ridiculi plane ignoraverit. Aliter autem res se habet cum vocabulo *inanilogus*, Plaut. Pseud. I. 3, 24., quod quidem mutare in *inaniloquus* non solum suadent similes voces, *pauciloquus*, *multiloquus*, *vaniloquus*, sed iubet etiam latini sermonis consuetudo, quae a componendis illius modi adiectivis, qualia Graecis usitata sunt, ut *πολύλογος*, *βραχύλογος*, plane abhorruit. Sed locus ille Plautinus omnino mutilus et variae lectionis est. (vid. Hermannus in Element. Doctr. Metr. p. 307.) Nec fas erit defendere istam formam *inanilogus* monstrosa illa voce *aretalogus*, ab Iuvenali et Suetonio usurpata, quam unde dicam in Latium irrepsisse, cum Graeci eam nec habuerint, nec ita confingere utique potuerint, id equidem scio cum ignarissimis.

Posteaquam Plautum nostrum ab inepto vocum hybridarum usu satis defendisse videmur, superest, ut de aliis, quae ex latinis scriptoribus afferuntur huius cognominis atque figurae vocabulis breviter dicamus. Ac *semitonium*, quidem non peioris notae esse vocabulum, quam *semizonarius* primo oculorum conspectu apparet. Et si antiqui, ut Seneca N. Q. II. 56. auctorem Caecinam, facundum virum, secutus, refert, vocabulo *tonus* usi sunt, potuere etiam *semitonium* recte dicere; nec opus est, ut apud Macrobium Saturn. II. 1. pro eo scribatur *hemitonium*.

Sed longe reconditior est notatio vocabuli *epirhedia*, quod in Iuvenali Sat. VIII. 66. reperitur. Id e Graeco et Gallico compositum esse Quinctiliano Inst. Orat. I. 5. facile credimus. Sed quod idem ait, nec Graecos nec Gallos eo uti, Romanos autem suum ex alieno utroque fecisse, id nimium multis modis et re et dictu inopinatum atque mirabile et tale est, quale vix Iudaeus Apella credat. Nos ita potius statuendum esse arbitramur. *Reda*

fuit vehiculum in Gallia inventum, ibique a Graecis colonis, Massiliensibus fortasse, primo visum, et eodem, quo illi appellabant nomine, ab aliis curribus distinctum. Receperunt igitur Graeci cum re nomen quoque, sed ita, ut secundum sermonis et oris sui naturam caninae literae adspirarent, rhedamque dicerent. Iam Romani, quibus per Graecos Galliae colonos huius generis vehicula haud dubie innotuerant, merito retinuerunt vocabulum ei rei proprium, id quod in nominibus rerum arte humana factarum orationis perspicuitas fieri postulat, adeoque memores graecae originis manserunt, ut illud graeco semper more scriberent. Nec aliter facere potuerunt, quandoquidem ipsi Galli olim non suas habebant literas, sed teste Caesare de Bell. Gall. VI. 14. in publicis privatisque rebus graecis literis utebantur. (vid. Ritterus in historia Galliae p. 319 — 330.) Itaque vox *rheda* in Romano sermone semper hospes fuit, in Graeco civis facta est, quae legitimo foedere cum graeco cive ἐπὶ iuncta, non vereri debuit, ne, quod inde nasceretur, *epirhedium* monstro illi Ovidiano, quod aliena cornua fronti addita habebat, simile videretur. Sed *epirhedium* totum e graeco semine ortum est, nihilque habet, quod in forma offendat, praeter naevulum, quem dubium est, utrum nativum, an adsciticium existimare debeamus. Oportebat enim primam rhedae literam in composito nomine geminari; quam scripturae legem, nisi Graeci in hoc vocabulo, ut in paucis aliis e. g. *καταράκτης*, *Καλλιρόη*, ipsi neglexerunt, Iuvenalis necessitate metrica ductus migrare potuit. (vid. *Schneiders Elementarlehre der latein. Sprache*, I. p. 202 et 212.)

Quod denique hybridarum vocum fabricatores ineptae artis suae antiquitatem Iulii Caesaris auctoritate tueri conantur, qui libros illos, quos contra Ciceronem edidit, *Anticatonem* inscripsit, in eo mihi egregie falli videntur. Alia enim est communium, alia propriorum nominum ratio. Illa in variis linguis specie ac figura variant, haec in omnibus idem sonant. Itaque catum hominem Graeci *συνετὸν* vel *πανοῦργον* dicunt, sed Catonem Uticensem *Κάτωνα* appellant.

IX.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

PRIMUM.

Quam novi anni initio adducti nos veteri consuetudine institutoque maiorum, recentes a Plautinis dapibus arte Plautina coctam patronis scholae atque nostris strenam offerimus, eam nullius boni viri stomachum sollicitaturam esse oppido confidimus. Haud enim verendum est, ne ulli reperiantur adeo iniqui rerum existimatores, ut eum, qui hisce temporibus, quibus pol moerores anteuortunt gaudiis, Plauti facetiis atque urbanitate oblectetur, intempestiua Minerua ludos facere, similemque esse dicant Siculis, quibus Cicero ait nunquam tam male fuisse, quin aliquid facete et commode dicerent. Nam cum viri prudentis sit inservire temporibus, ac vela dare unde ventus flat: quam quidem sentiendi agendique rationem per se non contemnendam esse putauerim; sapientis tamen proprium est, eadem vitae consilia habere semper atque exsequi, eundemque in aduersis atque secundis rebus esse: quam animi adfectionem haud scio an sine exceptione praedicabilem esse, et grauissimum telum ad recte viuendum existimari oporteat. Ad quem sapientiae fructum quoniam literarum studio proxime perducimur, nescio

7

quid magis deceat humanioris doctrinae cultores, quam in summis humani generis erroribus, flagitiis atque malis imitari non magis Democritum, quam Heraclitum; sed in neutram partem peccare, atque persuasum habere, quod aequus animus in re mala dimidium mali sit. Atque istam quidem animi aequabilitatem, cuius fontes uberrimos praestantissimi quique antiquitatis scriptores sitientibus liberaliter aperiunt, quando e Plauti riuulis copiose hauriri posse contendimus, cum sapientissimis hominibus facere nos et sentire arbitramur. Is enim ne primoribus quidem labris gustasse Plautinos sales nobis videtur, qui non nisi ad risum captandum eos compositos esse, atque ad pudicos mores nihil facere existimauerit. Quamvis enim haud pauca in istis fabulis occurrant, quae honestius taceantur, quam dicantur; eaedem tamen tot praestantissimis ad omnia virtutis officia docenda, explicanda et inculcanda, sententiis refertae sunt, ut poeta lasciuis iocis suis non ad tollenda honestatis turpitudinisque discrimina, sed ideo usus esse videatur, ut probitatis, castitatis atque decori clariori splendore mentis cuiusque acies moueretur facilius et vehementius caperetur.

Quae sententia cum fixa sederet in nostro animo, nulli dubitauimus iam inde ab aliquot annis nostrorum discipulorum studia in hoc quoque scriptore exercere, non solum ideo, ut linguae ac verborum elegantiam, cuius luculentissimus testis Varro haberi debet, inde discerent, neque tantum antiquitatis aut comicae artis cognoscendae gratia; sed etiam atque inprimis eo consilio, ut sensum atque amorem honestatis, diligenti comparatione diuersissimorum hominum morum eorumque causarum, atque rationum facta, in discipulis excitaremus atque confirmaremus; qui pastus iuuenilium animorum, nisi me omnia fallunt, unus omnium est utilissimus, ac nunc quidem cum maxime necessarius. Sed quidquid boni ad animos nostrorum adolescentium ex ista lectione redundarit, id tacitum praetereamus: quae vero talia fuerunt, ut ad auctorem ipsum ab obscuritatis aliorumque vitiorum crimine, quo damnari solet, liberandum facerent, eorum nonnulla in medium conferemus, ut auctori de

nobis bene merito gratiam referamus, eademque opera, si fieri possit, ipsi de communibus literulis pro virili bene mereamur.

AULULARIA II. 2.

In hac scena Megadorus, Phaedrae matrimonium exigens, de more procum Euclionem patrem puellae delenificis verbis compellat, et quo lentior talis materies est, eo callidius munit sibi viam ad Euclionis animum expugnandum. Igitur antequam de filia eius mentionem faciat, qualis ipse Euclioni videatur explorat: ut, si probetur, faciliorem habeat impetrandi copiam; sin minus, habeat tamen, quo tuto pedem referat. Quare ambo senes ita colloquuntur:

Megadorus. *Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum?*

Euclio. *Bono.*

Megadorus. *Quid fide?*

Euclio. *Bona.*

Megadorus. *Quid factis?*

Euclio. *Neque malis, neque improbis.*

Iam in hac ultima Euclionis responsione adhaeresco, quippe qui non perspiciam, quo modo hic loci *male facta* ab *improbe factis* differant. Malim igitur legere *neque malis, neque iam probis.* Haec enim laus est media, non pessimo cuique conueniens, atque in vita communi a versutis hominibus iis tribui solita, de quibus in alterutram partem, vel male, vel bene existimare nequeunt aut dubitant. Qua quidem ratione mihi interpretandus etiam videtur locus ille in Epidico V. 2, 44.

Neque malo homini, neque benigno tuo dedi Stratippocli.

ubi in vocabulo *benigno*, tanquam in incili haeserunt omnes interpretes, variasque de lectione corrigenda fecerunt coniecturas, mihi quidem superuacaneas visas, qui astuti mancipii callide perplexum responsum facile agnoscam. In nostro autem loco vel comica vis, quae in tali

scriptore maxime retinenda est, eam, quam proposuimus emendationem, suadere videtur. Laudari enim procum vere atque sedulo ab homine, cui olet ferenda conditio, quam non accipere certum ei est, haud consentaneum fuerit. Id vero decet versutum senem pariter atque poetam risum captantem, primum aperte laudare, cum de genere et fide sermo est: deinde ubi de factis quaeritur, rem in medio relinquere: denique grandem aetatem, ut in homine de nuptiis cogitante, haud dissimulanter vituperare; ita tamen, ut facta diuitiarum mentione, quas ille laudi sibi ducebat, inepto homini os sursum vorsum sublinatur.

CAPTIVORUM PROLOGUS.

Opinione difficilior est locus ille a. v. 10. usque ad 14. Iubet enim histrio ultimum spectatorem, qui negauit se tenere, quod ille dixerat, accedere, *Accedito**). Sed quorsum?

In scena enim aut proscenio non nisi actoribus versari licebat, loca vero unde spectarent, cum antea pro ciuium ordinibus discreta non essent, hoc ipso tempore, quo Plauti fabulae doceri coeptae sunt, a. u. c. 559. ex Africani maioris sententia inter senatum et populum diuisa fuisse Valerius Maximus II. 4. memoriae prodidit. At enim vero quidquid est, videtur tamen histrio spectatoris illius rationem habere. Sed mox eum probris incessit, se nihil eum morari, et opulentos ciues sermoni suo participare velle dicit. Quod utique contra mores non histrionum solum, sed omnis generis oratorum est, si qui sciunt ordine tractare homines. Porro quid est, quod plebeii histrionem cogant mendicarier? Hac culpa illi aeque ac patricii vacabant, cum Romae non, ut Athenis, θεωρικὰ χρήματα a singulis spectatoribus colligerentur, sed artifices lucar suum vel ab iis, qui ludos

*) [In nota serius adscripta ad illud *Accedito* auctor conferri iubet Hor. Epist. I. 1, 67. *Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi. L.*]

darent, vel ex aerario aut fisco acciperent. Breui igitur sic habeto. Videtur Plautus consulto finxisse audiri aliquem e sessoribus ultimis histrioni rustice obstrepentem, ut haberet, quo plebem Romanam, quae ingentem tumultum in theatris excitare solebat, quem Coelius cum tonitruum clamore et rudentum sibilo comparat (Cic. ad Div. VIII. 2), notaret, atque ad meliorem frugem corrigeret. Quare iubet hunc interpellatorem abscedere. Legendum enim est *abscedito.* (quod in simili loco, Miles Glor. II. 1, 3. sonat: *exsurgat foras.*) Ne vero hoc superbe dicere videatur, addit: *Quando histrionem cogis mendicarier.* Quod aliouorsum accipiendum esse, quam a Lambino accipitur, qui rem nimis ex alto repetendo, rauim ingenti clamore contrahendam histrioni, ideoque artem ipsam histrionicam deserendam innui putauit, exinde elucet, quod ad eos se contra convertit, *qui possunt ope sua censerier.* Quorum quidem opulentorum hominum etsi respectu mercedis histrionibus soluendae non potior erat habenda ratio, quippe cum ludi illi publice spectarentur, tamen inprimis palpandum iis erat partim propterea, quod illi vel magistratus, vel funeris, vel alius rei causa, suis sumtibus dare ludos solebant: partim quia histrionibus maxime probatis corollaria mittebant, quibus illi ob exiguam mercedem auide inhiabant. Igitur si absque his, ope sua censis, ciuibus fuisset, per censos capite mendicari histriones debebant.

CVRCVLIO V. 2, 23.

Licet te antestari! Haec verba nonnullis editoribus suspecta visa sunt, haud dubie propterea, quod intelligerent, non potuisse aliquem in ius vocari, simulque eius rei testem fieri. Igitur omiserunt pronomen *te*, sed perperam. Phaedromus enim non alloquitur militem, sed parasitum. At miles, cuius interest ne Phaedromus aliquem antestetur, pro Curculione, quem V. 25. seruum dicit, responsat: *non licet.* Quapropter adolescens iratus in eum invehitur: *Iupiter te male perdat.* Curculio autem duo simul significaturus, cum testem se vocari

posse, tum ipsum sese iniuriam sibi factam in milite persecuturum esse, breuiter et perplexe, qui mos est iracundia incensorum, exclamat: *At ego, quem licet, te.* Quae verba nusquam legi satis explicita. Est vero potestas eorum haec: *At ego* (non solum Iupiter) *quem licet* (Phaedromo antestari) *te* (militem perdam).

CISTELLARIA I. 2, 23.

Item ut aliae pariunt, quae malum quaerunt sibi.

Huius loci interpretes olim omnes, ne Gronouio quidem excepto, non dicam malum sibi, sed nodum in scirpo quaesiuerunt. Est enim phrasis elegans et metonymica *malum quaerere*, communiter illa quidem significans, *male agere*, *malae rei studere*, ut clare adparet e Rudentis prologo, ubi *malum quaerentibus* opponuntur v. 21. *boni;* separatim vero iudicans calamitatem ei, qui male egit, vel egisse videtur, imminentem; praecipue verbera aliasque poenas, ut in Milite Glor. II. 5, 23. Poenul. V. 5, 37., in nostro vero loco *curas* et *sollicitudines*, partum et educationem puerorum sequentes. Vertimus igitur propositum versum ita: *Wie andre Frauen gebären, die sich Noth zuziehn.*

IBIDEM II. 1, 35.

Alc. Non? hem, quid agis? Mel. Igitur animum advorte, ut quid agas, scias.

Primam meam de hoc loco sententiam, quam falsam esse vidi, reiicio; meliorem propono. Nunc enim censeo hunc versum ita scribendum esse:

Non? hem, quid agis igitur? Mel. Animum advorte iam, ut quid agam, scias.

En argumenta, quibus adductus ita statuam. Melaenis, quae adolescentis animum adversae fortunae ictu satis vulneratum non magis exasperare vult, non audet roganti, ut sibi reddat amicam, aperte contradicere, et

ad repetitas eius quaestiones per ambages, sed ita respondet, ut ille denique intelligat, Melaenidi certum et decretum esse, non remittere puellam. Sed hoc ipsum fateri verita, simulat mulier deliberantem, quid factura sit: *quin ego commentor quidem*, eaque de causa sese ait illius dicta in aures non recipere. Quem sui contemtum quam aegre ferat, ostendit adolescens repetendo vocabulo *non?* et simul invehitur in mulierem eique acrius instat, ut dicat, quid agere tandem decreverit: *hem, quid agis igitur!* (Nam formulis illis *quid igitur! quid ergo?* utuntur Latini, cum de deliberationis, disputationis aliarumque rerum dubiarum exitu tandem certiores fieri cupiunt. Verba autem actionem significantia nonnunquam ita usurpari, ut voluntatem tantum et propositum agendi indicent, notum est.) Sed ne sic quidem planum et simplex aufert responsum, quippe quod mulier eludit dicens: *animum advorte iam, ut quid agam, scias.* Haec vero mulieris contumacia nimiaque cavillatio tantam in adolescente accendit iram, quae mentem eius alienet rerumque eripiat memoriam. Quam animi sui perturbationem adolescens recte mulieri imputans, *propter te*, inquit, *haec pecco.* Iussus autem inceptas comminationes peragere, non pergit statim, sed inhaeret cogitationi eius rei, quae maxime ipsum exacerbaverat: *Anne etiam quid consultura sis sciam?* Quae interrogatio cum sensu careat, nisi referatur ad id, quod Melaenis versu 35. dixerat, apparet necesse esse, ut ibi *agas* mutetur in *agam.* Unde haec oritur commoda verborum interpretatio a versu inde 33.

Alc. Ist das fest bei dir beschlossen? Mel. Ich denke vielmehr darüber nach,

Und lass, was du da sagst, wahrhaftig mir ietzt nicht zu Ohren gehen.

Alc. Nicht? Was wird draus? Mel. Ueberlege zu wissen, was draus werden soll.

His ita expositis sponte elucebit, quibus de causis Bothii lectionem et Koepkii versionem probare dubitemus.

EPIDICUS. I. 1, 32.

Epidicus veterator magnus Thesprionem herilis filii armigerum, e bello reducem, interrogat, ubi arma sint Stratippocli. Ex quo postquam resciuit arma illa hostium esse potita, eamque rem satis impudenter in honorem adeo verti, quoniam ingenium in numerato habet, utitur artificio utilissimo illo quidem in iis hominibus, qui non possunt aliter ad frugem corrigi, risumque petit ex illo fonte, quem Quinctilianus I. O. IV. 3. §. 79. laudat, ut ridiculum ridiculo mendacium mendacio eludatur. Dicit igitur v. 32.

Mulciber, credo, arma fecit, quae habuit Stratippocles,
Transuolarunt ad hostes. Tum ille prognatus Theti,
Sine, perdat: alia apportabunt ei Nerei filiae.

Hic pleno pectore sapuit Douza, liberans Plautum a culpa incogitantiae et obliuionis, quam ei adtribuerunt Camerarius et Lambinus, falso rati poetam facere Vulcanum fabricatorem armorum Achillis, quibus Patroclo caeso petitus esset Hector. Sed idem ille criticus inutili sapientia suam ipse causam damnauit, cum statuit, poetam suum artificium consulto prodidisse, meliusque hac deliberata erratione *τὸ πρέπον* personae conseruasse, quam si et hominem seruum et caculam veritatem persequentem in theatrum produxisset. Nullam enim in illis verbis simulationem erroris deprehendes, si ea, ut Bothius fecit, rectius inter personas diviseris, et, monstrante viam codice Lipsiensi, versu 32 et sequente dimidio Thesprionem continuare orationem iusseris; exinde vero ab his verbis *tum ille*, quod est in editione principe notatum, Epidicum loquentem feceris. Ita demum elucet summa, quae in hoc loco inest urbanitas. Thesprio enim ioculari excusatione defendit Stratippoclis ignaviam, quippe cum illius arma, a Mulcibere videlicet animatorum operum facricatore facta, sponte ad hostes transvolavisse censeat. Epidicus autem Mulciberis facta mentione incidit in Achillis memoriam, cuius singulari fortuna facete utitur ad consolandum dolorem ob amissa arma, salse irridens

communem vulgi stultitiam, qua nullius numeri ac virtutis homines magnorum virorum raram sed promeritam felicitatem exspectare eorumque exempla suae socordiae praetendere solent. Apparet igitur, utrumque ioculatorem non totam respexisse de Achillis armis fabulam, sed in ea eius parte lusisse, quae suo cuiusque consilio accommodata esset; neque vero etiam a poeta sive temere sive consulto violatam esse rerum antiquarum fidem, cum ad rem praesentem plane non attineat, quo ordine Achillis arma alia a Patroclo amissa, alia a Mulcibere fabricata fuisse perhibeantur.

IBIDEM I. 2, 13.

Nam quid te igitur retulit beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuum est?

Male hunc locum intellexit Schellerus, qui vocabulum *te* cum verbo *retulit* coniungendum esse putauit. Ex quo errore orta est eius versio horum verborum valde incommoda haec: *Was gieng es dich an?* Nimirum cum non animaduertisset, esse pronomen illud personale, quod aeque ac v. 31. ad infinitiuum pertineat, alieno loco positum; existimauit se deprehendisse singularem dicendi usum latinorum scriptorum, qui non solum dicerent: *quid refert ad te?* sed etiam, omissa praepositione, *quid te refert?* quod cum nusquam reperiatur, obseruatio ea in Lexico eius delenda est, pariter atque illud, quod idem scripsit de phrasi *supplicare ab aliquo;* quo modo dici posse credidit ob verba in prologo Rudentis haec:

Facilius, si qui pius est, a dis supplicans,
Quam qui scelestu 'st, inueniet veniam sibi.

Sed in his versibus verba *a dis* pendent ab *inueniet*, neutiquam vero a participio *supplicans*.

IBIDEM V. 2, 20.

Edepol mancipium scelestum! Haec verba mihi haud dubie Apoecidae tribuenda esse videntur, partim ideo, quod tum demum adparet, cur Epidicus repente aciem

orationis contra Apoeciden conferat; partim quoniam sic multo sale condita esse reperiuntur verba Epidici haec: *Te profecto, Apoecides, nihil moror mihi precatorem.* Accessit ad hanc meam sententiam Bothius V. Cl. in novissima editione.

MILES GLORIOSUS I. 8.

Inflatus insolentia Miles machaeram suam misere gestire ait,

Fratrem facere ex hostibus.

Quod quid significet, interpretes in omnia alia iuerunt. Nolumus recensendis aliorum sententiis actum agere, praesertim cum verendum sit, ne hostes faciamus ex fratribus. At vero quia in loco tam dubiae lectionis, quam in omnes versare sententias licet, libera coniectura est; non negamus nos ab aliis diuersa sentire, atque existimare, scribendum esse:

Stragem facere ex hostibus.

Haec enim locutio non solum latina est, sed conuenit etiam ingenio militis, lingua quam manu promtioris. Quid? quod literarum etiam similitudo in utroque vocabulo satis magna est.

IBIDEM II. 6; 105—110.

Hic mihi naso videat plus quam oculis atque animo, qui e Periplectomenis verbis ultimis a versu 103, commodum sensum possit elicere. Nam quis est tam Lynceus, qui in tantis huius loci tenebris nihil offendat, nec in illa verba: *ne id, quod vidit, viderit,* vehementer incurrat? Ut verba mea maxime ad compendium conferam, fatear me hoc debere fortunae meae, quod repente incidi in cogitationem de aliqua verborum perturbatione, oscitantia librarii scriptoris, an aliquo casu, facta; cui quidem diutius immoratus ita esse textum instaurandum intellexi:

Illic hinc abscessit. Sat edepol certo scio,
Occisam saepe sapere plus multo suem,
Cum manducatur. Usque adhuc actum est probe.

Nam illius oculi atque aures atque opinio
Transfugere ad nos; ne id, quod vidit, viderit.
Nimium festivam mulier operam praebuit.

Quo quidem verborum ordine restituto, totius loci sensus tam in procliui est, quam imber est, quando pluit*).

*) Denuo in hunc locum inquirens vidi, Acidalium a meis stare partibus, nisi quod ultimum versum: *Nimium festivam etc.* aegre ab istis verbis: *Usque adhuc actum est probe*, divelli patiatur. Quod ego contra tribus de causis faciendum esse existimo. Primo, quia epiphonemata rectius in fine narrationis collocantur; deinde ne ambiguum sit, quo referatur *illius*, si praecesserit mentio mulieris; denique ne in ordine versuum maior, quam opus sit, fiat mutatio.

X.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

SECUNDUM.

BACCHIDES.

ACTUS I. Sc. I. v. I.

Quid si hoc potis est, ut taceas, ego loquar?
B. lepide, licet.

E communi omnium, qui Plautinas fabulas vel ediderunt, vel in eas commentati sunt, opinione, huic comoediae deficit principium. In quo quidem eos iustis destitui rationibus, adeo mihi persuasum est, ut integritatem fabulae satis idoneis argumentis probari posse intelligam. Inquirentibus enim in causas tam praecipitis iudicii, multa occurrunt, quae huic errori opportunitatem ac veri aliquam speciem dedisse videantur. Ac primo quidem exordium, huic fabulae praemissum, quod a Constantino Lascare Messanae inuentum perhibetur*); etsi Plautino

*) Longolius quidem in annotationibus in Bacchides ad editionem Coloniensem 1530. ita: „Primus actus Bacchidum desideratur „cum prologo, caeterum quod nos subnexuimus, non esse Plautinum, „praeter id, quod ipsa dictio per se satis testatur, etiam in Romano „codice tantum hoc deerat, pauci tamen mutilique versus referebant „nescio quid Plautinum. Quod autem habemus dedit Lascaris „grammaticus ille graecus, ut testatur in epistola ad Bembum, quod Messanae in Sicilia inuenit. Sunt multi, qui a „Francisco

ingenio indignum esse neminem fugere possit; tamen ob codicis antiquitatem, et inuentoris auctoritatem, haud dubie posteros in eam adduxit sententiam, ut auctori eius, quisquis ille fuerit, satis magnas fuisse censerent causas, cur fabulae illi qualecunque initium concinnandum esse putaret. Tenet enim plerosque, vel eruditos homines, tanta antiquitatis reverentia, ut cum prisca aetate errare, quam cum noua verum videre malint. Sed nisi obscurus ille auctor, sui temporis aut inanis gloriae, aut lucelli vano studio ad hoc exordium Plauto supponendum impulsus est, non potuit aliam male seduli laboris causam habuisse, quam quod poetam aut prologo supersedere, aut personas eo, quem finxit, sermone loquentes, in scenam introducere, aut utrumque non pōtuisse arbitraretur. Quod igitur ad prologum attinet, eius faciendi consuetudinem, quae nullam plane necessitatem habet, ne Plautus quidem, nouae Graecorum comoediae hac quoque in re imitator, ubique obseruavit; sed in aliis fabulis, Curculione quidem, Epidico, Mostellaria, Persa, Sticho, Cistellaria, Milite*), omnino

---

Petrarca effictum putant." Sed quoniam Nicolaus Angelius Bucinensis, gymnasii Florentini quondam professor celeberrimus, qui scriptoribus veteribus, in typographio Iuntino excudendis, sedulam nauauit operam, in praefatione ad editionem Florentinam 1514. suo merito repertum esse illud fragmentum praedicat, his verbis: „Nos omnium primi quos legerimus prologum Bacchidibus dimidiatis „et primi actus initium diligentia nostra repertum restituimus," dubium sane est, quid super ea re statuendum sit; praesertim cum Lascaris illam ad Bembum epistolam, fortasse typis nusquam expressam, nobis hactenus videre non licuerit.

*) Quod duas postremo memoratas fabulas prologis carere dixi, id notabile visum est Clar. Wolffio, in egregio libello, quem vir doctissimus *de prologis Plautinis* scripsit Gubenae anno 1812. Sed discrepamus de verbo, in re consentimus. Non nego enim ea, quae in Milite a Palaestrione, in Cistellaria ab Auxilio dicantur, cum ad expositionem potius, quam actionem fabulae pertineant, convenire personae prologi; sed veros appellare prologos non possum. Nam quoniam fabulae non antecedunt, sed inseruntur, non sunt quod sonat vocabulum, et *Interlocutiones* potius, quam *Anteloquia* vocanda censuerim.

neglexit. Neque ex iis causis, cur fabulis interdum praefandum esse poetae putarunt, ut aut excusarent sese, commendarentue, aut spectatoribus perplexius argumentum exponerent, aut plebis iniuriam erga histriones, aliosque peruersos mores notarent, quaeque plures cogitari possunt, ullam verosimile est Plauti animo in hac fabula scribenda obuersatam fuisse. Quapropter videtur ipsum initium potius suspicionem mutilae et quasi decurtatae fabulae genuisse. Quod enim Bacchis altera infit: *Quid si hoc potis est, ut taceas, ego loquar?* id manifesto indicare videtur, sororem eius antea verba aliqua, eaque non pauca fecisse. Quod etsi poeta persuasum cupit spectatoribus; tamen non in scena fieri, sed priusquam velum caderet factum cogitari voluit. Hoc enim est illud artificium, quo illudunt poetae spectatoribus, ut in rem praesentem venire, nec agendae fabulae, sed rei gerendae interesse arbitrentur. Cuiusmodi fabularum ordiendarum rationem, quae plurimum habeat gratiae et lenocinii, a Plauto nostro non neglectam fuisse, Asinariae, Casinae et Cistellariae initia satis ostendunt. Nam Camerarii sententia parum mouemur, qui mutilam esse hanc fabulam inde existimari posse ait, quod ex Bacchidibus Plauti adducantur a Charisio et Fulgentio, quae in hac fabula non legantur. Nemo enim ignorat, grammaticos in citandis librorum titulis saepe allucinatos esse, ut ipse quidem Fulgentius errauit, qui verba ista: *Nasiternam cum aqua*, quae in Sticho (II. 2, 18.) legere meminerat, in Bacchidibus reperiri temere contendit. Etsi vero de iis, quae super huius comoediae integritate diximus, eruditi nobiscum facile consenserint, quid facturi sunt, cum recordabuntur, in antiquissimo codice hanc ipsam fabulam mutilam et sine principio esse perhiberi? Loquimur de illo codice, quem a Nicolao Treuerensi, solertissimo veterum auctorum perscrutatore, anno 1428 in Germania repertum, et ad Ursinum Cardinalem perlatum, Laurentius Mediceus sibi commodatum, Nicolao Niccolo, Florentino ciui, humaniorumque studiorum in Etruria vindici ac statori, describendum tradiderat. Eius descriptionem Laurentius Mehusius in doctissima

praefatione ad Ambrosii Traversarii epistolas et orationes p. 43. hanc facit: „In altero codice pariter chartaceo „eiusdem bibliothecae (de Marciana sermocinatur) manu „Niccoli exarato, et tam in principio, quam ad calcem „mutilo ac semilacero, leguntur duodecim Plauti comoediae nouiter repertae hoc ordine. Prima, quae acephala est, incipit: *Baccides. Quid si hoc potis est; ut taceas, ego loquar: lepide licet etc. II. Plauti Mostellaria incipit feliciter. Argumentum. Manumisit emptos suos amores Philolaches etc. III. Argumentum in Menechmos Plauti: Mercator Siculus, cui erant gemini filii etc. IV. Plauti Miles gloriosus incipit feliciter. Meretricem Athenis Ephesum miles auehit etc. V. Plauti Mercator incipit feliciter. Missus mercatum ab suo adolescens patre etc. VI. Plauti Poetae Pseudolus incipit feliciter. Prologus. Praesentis numerat quindecim miles minas etc. VII. Plauti argumentum in Poenulum incipit feliciter. Puer septicennis subripitur Carthaginem etc. VIII. Plauti Persa incipit feliciter. Argumentum: Profecto domino suos amores Toxilus etc. IX. Incipit Rudentis argumentum. Reti piscator de Mari extraxit vidulum etc. X. Incipit Plauti Stichus feliciter: Argumentum. Senex castigat filias, quod hae viros etc. XI. Plauti Trinummus incipit feliciter: Tensaurum abstrusum abiens peregre Charmides etc. XII. Eiusdem Plauti Truculentus incipit feliciter. Argumentum. Tres unam pereunt adolescentes mulierem etc.* Haec ad calcem mutila est, explicitque: *Eum esse apud me: minime: iam abio: Quid opus! Iure mea triduum hoc etc.* Disertis igitur verbis nostra, de qua loquimur, comoedia, a Laurentio Mehusio, cui antiquissimum codicem oculis manibusque usurpare licuit, acephala vocatur. Quid ergo? satin salvae? Admodum! Vocabulo enim capitis, quod doctissimus Mehusius deesse Bacchidibus narrat, nullam aliam rem, nisi argumentum significauit, quod Graecis κεφάλαιον dici solet. In quo sane ipsa librarii verba respexit, qui singulis fabulis singula argumenta praeposuit, et ipso argumenti vocabulo usus est, nisi quod variandae orationis gratia, pro eo etiam dixerit *prologus* et *incipit*

feliciter. Quum igitur Mehusius in describendis singularum fabularum initiis primos quosque argumentorum versus citaret, dubitari nequit, quin idem facturus fuisset in Bacchidibus commemorandis, nisi argumentum earum in codice, quem tractauit, defuisset; quo deficiente coactus est ipsum fabulae initium poetae verbis describere: *Baccides. Quid si hoc potis est* etc. Unde clare elucet, Mehusium de solo argumento cogitasse, cum in isto codice primam illarum nuper repertarum comoediam acephalam esse diceret. Nec aliter intelligenda sunt verba illa, quae idem Mehusius in vita Ambrosii p. 388. ex codice aliquo attulit, quo multa e multis auctoribus excerpta contineri dicit, quae haec sunt: *Incipiunt Notabilia de comoediis Plauti nouiter repertis, quae sunt XII, et primo de Bacchide, cui deficit principium.*

ACT. II. Sc. III. v. 58.

Quoniam vident nos stare, occeperunt ratem
Turbare in portu.

Hic loci nescio quod fascinum praestrinxit aciem mentis plerorumque interpretum, ut in clara luce coecutirent. Salmasius enim ita forte scripsisse Plautum ait: *occeperunt ratem urbare in portum.* Quod quid aliud est, quam nucleum amittere, relinquere pignori putamina? Etsi enim verbum urbare s. uruare ab Ennio usurpatum constat; tamen in nostro loco nullus eius vocabuli usus est. Quandoquidem a contexto sermone abruptum et varie interpolatum versum haud commode interpretari licet, nisi e Vossii emendatione legeris: *Circum se vruat ad pedes, ter ac quater ingens occulit caput.* Ita enim Ennius *vruare* dixisset pro *curuare*, et cetus ad pedes, Persei quidem, se circumuruans, eo fingeretur habitu, quo apud Plinium X. 62. *serpentes circumuolutae sibi ipsae.* Quodsi igitur Festus explicandi loci gratia adhibuisset vocabulum curvare, videri posset *ratem in portum urbare* dictum esse ad similitudinem Plinianae phraseos XII. 5. *rami in terram curuantur.*

Sed cum ille Grammaticus *circumdare* posuerit, non magis apparet, quomodo dici possit, *nauem circumdare in portum*, quam qualem sententiam inuenerit ille in isto loco Enniano. Quod forsitan suboluit Gronovio cum non posse placere illud Salmasianum scriberet. Sed idem non melius consuluit interpretationi dicendo, aut *turbare* esse posse, quoquo modo impedire, aut legendum *inhibere*. Alterum enim non quadrat, alterum nimis arbitrarium est. Haud dubie autem acutissimus vir ingenium suum non frustra in hoc loco exercuisset, nisi cum Acidalio dubitasset, quo modo in portu nauem turbarint, qui iam inde exierant? Rem autem accuratius spectantibus apparebit, nullam fieri mentionem de ratis piraticae progressu e portu. Dicuntur enim piratae secuti esse eos, qui portu exierint; quos ubi statuere nauem (sc. ante portum) viderent, occeperunt ratem suam turbare in portu, hoc est non exierunt, ne insidiari viderentur, sed agitarunt ratem suam intra portum, ut animi et consumendi otii causa aliquid superuacanei operis suscepisse putarentur.

A C T. III. Sc. II. v. 10.

Nam pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensius est.

Haec verba a multis tentata, a nemine, quantum intelligo, recte explicata sunt. Quod enim Salmasius, tribus Lambini explicationibus merito rejectis, pro *ingrato* legendum censuit *grato*, eo novas hoc loco turbas fecit. Subjecit enim vocabulo *impensum* duas res, quas illud nusquam significare solet. Primo igitur errat, quod *impensum* cum *gravi*, *pretioso* et *caro* permutat, quae ita differunt, ut haec vocabula ea significent, ob quae impensae fiunt, illud id, quod propter eas res impenditur h. e. sumtus; qui quidem non ipsi dicuntur cari et pretiosi, sed res, quarum causa fiunt. Hinc recte dicitur impensum, quod impendi potest, ut pretium, cura, preces etc. male id, in quod aliquid impenditur, ut gratus vel

ingratus homo. In quem errorem Gronouius quoque haud dubie non incidisset, nisi Pistorium ducem nimis festinanter secutus esset. Sed huic assentiens hunc locum ita explicuit: Nihil impensiore pretio habetur, quam homo ingratus. Quae sententia quomodo e Plautinis verbis recte possit elici, non perspicio. Porro quod Salmasius ait: *posset etiam sumi pro impendiosius, impensus quippe et impendiosus idem*, id quo iure dicat, ipse viderit. Illud enim participium rem indicat praeteritam et transactam, hoc adiectiuum, ut alia eius formae, animi quandam inclinationem significat. Quare et falsum est, impensum idem valere, ac liberalem, et si hoc ita esset, tamen sententia non vera videretur, cum alii, ut seditiosi homines, honorum avidi, novarum rerum studiosi, omnium saepe sint liberalissimi. Verus autem verborum Plautinorum sensus hic esse videtur: *ingratum hominem esse maxima impensa est. Undankbarkeit ist der grösste Aufwand.* Quam sententiam cum ipsa verba exprimunt, tum contexta oratio postulat. *Impensum* enim, quod idem atque *impensa* significat, in comparativo positum, quem multis aliis participiis passivis vetustissimi auctores saepius tribuerunt, (v. El. Maiorem de varianda oratione, a pag. 126.) idem valet *ac maior impensa*. Ingratus autem homo pro ingrato animo, concretum pro abstracto, positum est. Contextum vero sermonem hanc verborum interpretationem flagitare ex eo apparet, quod Mnesilochus de serui sui beneficio satis largiter remunerando deliberans, hanc unam sibi cogitationem obstare videt, ne in referendis gratiis nimis profusus videatur. Quod impedimentum ut tollat, ingratum componit cum impendioso, et hunc illi ideo praestare intelligit, quod nemo plus dispendii, quam ingratus faciat, quippe quem ipsi quoque mali culpent et relinquant, quum hominis grati impensas boni quique laude et praemiis compensent. Quare satius esse ait, maleficii esse immemorem, quam beneficii (quod contra putat Memmius apud Sallustium Iugur. 31. in fine). Commodus igitur sententiarum nexus est, quem facilius perspicies, si versus hoc ordine legeris: 9. 12. 10. 13. 11.

ACT. III. Sc. III. v. 42.

It magister quasi lucerna uncto expretus linteo.

Quantum saepe olei atque operae veterum auctorum interpretes perdere soleant, ex hoc loco abunde cognoscere licet. Merito enim in vocabulo *expretus* offensi, non simplicem et praesentem medicinam quaesiverunt, sed ambitiosorum medicorum mores imitati, composita remedia et scalpellum adeo integris corporis partibus, qua celerrimum erat, non qua licebat, adhibuerunt. Qua quidem mala sedulitate non adiuverunt sanitatem loci, sed plane impediverunt. Ac Salmasius quidem *lucernam* in *laternam* mutavit, et *extertus* nullius auctoritatis vocabulum, posuit pro *expretus*; nempe quod laternas corneas cogitaret, quas uncto linteo extersas fuisse, non magis verisimile est, quam Douzae coniectura, existimantis, moris antiquitus fuisse uncto linteo emungendi, vel exstinguendi lucernas potius, cuius vicem ferreis emunctoriis uti, nobis hodie solemne est. Recte igitur Gronovius improbavit Salmasii vocabulum *extertus**), sed laternam eius amplexus est, quippe qui meminisset illius Ciceronis loci ad Attic. IV. 3. *paucis pannosis linea laterna.* Cuiusmodi laternae cum vilium essent atque contemtorum hominum; magistri illius contemtum a poeta significari putavit. (Similiter atque Anaxagoram Plutarchus refert Pericli contemtum sui his verbis exprobrasse: *Ὦ Περίκλεις, καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες ἔλαιον ἐπιχέουσιν.*) Qua de causa librarium quendam *exspretus* scripsisse statuit, de iniuria ignoto homini facta securus, modo id assequeretur, ut barbaro vocabulo *exspretus* in *spretus* mutato, ingenii atque eruditionis suae famam tueretur. Quarum ego turbarum magnopere pertaesus locum in omnes partes versavi, et in ea demum sententia steti, ut integrum censerem locum, nisi quod *expretus* mutandum videretur in *expletus*. Quam facillimam

---

*) [In alio exemplari notavit auctor, Westerhovium ad Terent. Phorm. I. 2, 26. coniecisse: *expertus* h. e. qui litem intenderat adolescenti, accusando eum apud patrem; sed frustra, quippe quo recepto sententia valde frigeret. L.]

emendationem, cum unice veram esse mihi persuasissem, non aegre tuli, sed impense laetatus sum, quod Petrus Valla, in cuius editionem vetustam (anno 1499. editam) forte incideram, occuparat ne primus forem. Is enim in editione sua *expletus* exhibuit. Quam lectionem deinde in codice Lipsiensi, et editione principe, Coloniensi, Gryphiana, Florentina et Basileensi inveni. Quare nihil me praeterea, nisi metrum, sollicitum habuit, quod quidem Camerarius vocabulo *exporrectus* iuvare conatus est. Sed huic quoque rei praeclare consultum vidi in editione Aldina, ubi versus ille ita legitur:

It magister quasi lucerna expletus uncto linteo.

Quam lectionem haud dubie verissimam, quo consilio editores et interpretes reliquerint, aut quo casu ignoraverint, alii viderint. Secuti sunt haud dubie auctoritatem Camerarii, qui in nota ad hunc locum in editione Lipsiensi 1549. ait: ita in veteri libro plane legitur. Nam ante Camerarium ista lectio nusquam reperitur. Noluit igitur poeta in hoc versu contemtum magistrum inducere, sed deridendum eum propinare, quippe cuius caput linteis fasciis, oleo largiter imbutis, expletum, repraesentaret lucernae imaginem. Qua comparatione nescio quid aptius reperiri queat. Veteres enim chirurgi vulnera eodem fere modo, quo nunc utimur, curabant. Explebant nimirum fissuras corporis linamentis vel siccis, vel aqua, aceto, oleo, alioque humore madefactis. (Cels. V. 26. 21.). His imponebant aut spongiam lanámve, aut varia emplastra, quorum medicamentis sine exceptione fere oleum erat admixtum. (Cels. V. 19.). Iam cum linamenta ista ad formam essent ellychniorum composita, atque adeo ex eadem constarent materia, factum est, ut Graeci propter similitudinem fomenta ista vulnerum etiam ἐλλύχνια appellarent (Galenus περὶ θεραπευτικῆς μεθόδου lib. 14. p. 186. ed. Basil.). Unde apparet, cur lucernae imago necessario et sponte se obtulerit Plauto, cogitanti hominem, cuius capitis fissa repleta essent funiculis, similibus iis, qui lucernarum fistulis immitti solent: quid porro *unctum linteum* sit: et quam apposite poeta ea in re vocabulum *expletus* usurpaverit.

ACT IV. Sc. VI. v. 14—16.

— — — — — *Specta rem modo.*
Ego verbum faciam. N. etiam carnufex
Minitare? Ch. nosces tu illum actutum, qualis sit.

Priora huius loci verba ab interpretibus perperam accepta sunt. Schmiederus enim: *ego verbum faciam*, ita explicat: verbum funderem, frustra me defenderem. Quo quid dici possit alienius a loquendi usu atque ab interrogatione senis: *etiam carnufex minitaris?* Nec aptior versio Kuffneri est: *Doch warte nur; ich will dir ein Wörtchen sagen! Nic. Drohen willst du noch Spitzbube?* Ut autem seruus minari videretur, Lambinus scribendum censuit: *ego nec verbum faciam.* Qua interpolatione neutiquam opus est. Sententia autem huius loci sic habet: Si vel pauca verba dicerem, statim intelligeres me non scelestum, filium autem tuum flagitiosum esse. Sed senex iratus Chrysalo prima eius verba ita interpretatur, quasi ille sibi maledicturus sit: igitur interrumpens eius sermonem exclamat: etiam carnufex minitare? Pauca autem verba illa, quae Chrysalus facturus erat, unde pater actutum nosceret filium, in scena 8. v. 10. occurrunt: *vir hic est illius mulieris, quacum accubat.* Quam veram esse Chrysali cogitationem, nunc mente tectam, inde elucet, quod ibidem v. 13. his verbis: *quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?* ad hoc cum sene colloquium manifesto respicit. Itaque ego hunc locum, in quo illud *specta rem* idem valet, quod apud Terentium in Adelphis III. 4, 36. *quaere rem* i. e. inquire in rei veritatem, ita vertendum censeo:

Mich hat er verleumdet? das ist herrlich! (ironisch) *Ich bin schlecht*
Und ein verruchter Bösewicht. Untersuch' es nur.
Ein einziges Wort nur dürft' ich sagen. Nic. *Willst noch droh'n,*
Du Schurke? Chr. *Würdest gleich einsehn, was an ihm ist.*

Praeterea versum quintum decimum, qui mutilus est, ita sanandum duco, ut post *carnufex* ponatur *mihi*, quod propter simile initium sequentis versus facile excidere potuit. Nam Bothii emendatio non satis apta videtur illis verbis, quae antecedunt et quae sequuntur. Ceterum de phrasi *verba facere* praecipitauit Schellius iudicium, qui in notis ad Ciceronis orationes T. II. p. 308. ita ait: „Falsch ist es, wenn man *verba facere* für eine Rede halten, orationem habere, braucht; denn man spricht dadurch mehr verringernd, mehr familiär, sagt es mehr im Scherz." Nam vel ex iis locis, quae in lexicis notata sunt, apparet, dictiones *verba facere*, *verba habere*, et *orationem habere*, communis esse significationis.

XI.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

TERTIUM.

CAPT. ACT. III. Sc. IV. v. 82.

Ornamenta absunt; Aiacem, hunc cum vides, ipsum vides.

Quid Bothium impulerit, ut pro ornamentis *armenta*, quae est editionis principis et Carpentarianae lectio, in textum reciperet, etsi ignoramus; suspicamur tamen hoc fuisse, quod a Sophocle Aiax ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας irruisse dicatur, adversante Horatio, qui ab insano Aiace non nisi oves interfectas memorat, (Serm. II. 3, 197.) quarum greges a Latinis armenta appellari, haud dum observavimus *). Sed quam lectionis eius firmandae gratia causam attulit Koepkius, eam valde levem nobis videri fatemur. Concedit enim ipse, *ornamenta* commodum efficere sensum, si quidem, de toto habitu et persona tragica, ut necesse est, intelligantur; sed addit statim: „Doch wird sich schwerlich Aiax auf der Bühne von den andern Heroen unterschieden haben. Die Heerden aber, unter die er fährt, bezeichnen näher den rasenden

*) In novissima editione restituit Bothius *ornamenta*, sed verbum *adsint*, e Douzae coniectura profectum, retinuit; quae lectio si vera esset, Plautus haud dubie scripsisset: *Aiacem ipsum videas.*

Heros.“ At enimvero egregie fallitur Koepkius. Fuisse enim peculiarem et suum cuique personae scenicae habitum, non solum ex natura rei colligitur, sed plus quam verosimile fit eo, quod pictores, statuarii et sigillorum numorumque artifices celebrium virorum imagines constanter ad eam, quam fama ferebat et poetarum auctoritas confirmabat, similitudinem effingebant, nec facile in iis, quae in uno quoque insigniter animadvertebantur, quidquam mutabant. (Cf. Iconographie grecque par E. Q. Visconti. à Paris. 1811. et Figures d'Homère dessinées d'après l'antique par Tischbein. à Metz. 1801.) Deinde hic non agitur de discrimine, quod Aiacem inter atque alios heroes intercedebat, sed de eo, quod Aristophontes Aiaci et animo et corpore et moribus esset simillimus, si hoc unum exceperis, quod non eodem, quo ille, ornatu armorum vestiumque compareret. Nam quod armentorum praesentiam furentem Aiacem propius indicare ait, id non satis perspicuum est. Ubi enim de hominum ipsorum aut similitudine aut dissimilitudine quaeritur, res circumiectae nullo, vel certe exiguo momento sunt.

CAPT. ACT. III. Sc. IV. v. 103. 104.

Quin quiescis dierectum cor meum! i, ac suspende te.
Tu sussultas, ego miser vix astoprae formidine.

Quae sit vocabuli *dierectus* vis et origo, id nos accuratius rimari operae pretium est, cum grammatici veteres aeque ac recentiores non effecerint, ut actum agere videamur. Nam quod Festus ait: *dierectum dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem*, id vereor, ut cuiquam, qui latine scit, satis probetur; quandoquidem non solum contra loquendi usum est, iubere aliquem *in malum diem abire;* sed etiam linguae ingenio repugnat, vocabulum e duorum nominum rectis casibus compositum, *dies* et *rectus*, ita usurpare, ut adiectivi vicem gerat. Quae si vocabuli huius origo esset, vox illa: *abin' hinc dierecte*, significaret, *abi male dies*, neutiquam vero: *abi in malum diem*, vel ut interpretantur: *in malam crucem.* Accedit quod illi derivationi

metricae artis leges adversantur, e quibus prima vocabuli *dierectus* syllaba producitur. Exemplum luculentum hoc est: Menaech. II. 3. 87. *dúcit lembum dierectum návis praedatória*, quod in vocabulo dies contra est. Quod quidem Lambinus intelligens nostro in loco scripsit: *quin quiesce tu dierecte:* sua, an aliena auctoritate, nescio. Nec multo verisimilior Nonii videtur explicatio: *dierecti dicti crucifixi, quasi ad diem erecti.* Etsi enim vim vocabuli melius perspexit, tamen cum prosodiam nihil moraretur, in eodem cum Festo incili adhaesit. Ingeniosior, neque tamen felicior fuit Salmasius, qui frustra quaeri in latino solo huius vocis originem et significationem statuit. Scripsisse enim Plautum *dierectum* pro *diarectum*, quod esset διάῤῥηκτον, et saepe apud Aristophanem occurrere διαῤῥαγείης. Hinc cor dierectum dici pro disrupto, ut in Curcul. II. 1. 29. *lien dierectus*, i. e. disruptus. Quae etsi dictu satis speciosa sint, tamen nullam rei fidem adferunt. Vellem enim unum attulisset Salmasius exemplum, quo doceri possit latinos auctores graecae voculae διὰ ultimam literam mutasse quandoque in literam *e*, et primam syllabam eius produxisse. Neque similitudo, quam habet latinum *dierectus* cum graeco διάῤῥηκτος, satis esse potest ad huius significationem illi iure tribuendam. Quid? quod ipse ille locus e Curculione citatus, nullo argumento est. Ibi enim lienem dierectum non significare disruptum e sequentibus verbis apparet, quibus Palinurus Cappadocem ambulare iubet; quod quidem ad male affectum lienem iuvandum (Cels. IV. 9.), non vero ad disruptum curandum facere in confesso est. Sed idem locus grammaticos ad veram vocabuli *dierectus* significationem indagandam ducere debebat. Is enim solus est, in quo vocabulum illud propriam suam vim obtinuit. Queritur ibi Cappadox de decrescente valetudine, aitque: *Iam quasi zona liene cinctus ambulo;* quibus verbis eum nihil aliud indicare, quam *tumidum*, *distentum* et *inflatum* sibi lienem esse, ea quae sequuntur declarant: *geminos in ventre habere videor filios;* ideoque etiam metuit: *ne medius disrumpatur miser.* Ergo cum dicit: *lien dierectus est*, non significat disruptum,

sed qui prope absit, ut disrumpatur; quippe ita expansum, ut, quemadmodum in Mercatore I. 2. 14. poeta ait: *seditionem faciat lien et occupet praecordia.* Haec enim a poeta non fingi, sed accommodate ad veritatem dici, medicorum experientia satis superque comprobatur. Illi enim lienem saepissime intumescere, eiusque magnitudinem nonnunquam quater fere tanto ampliorem fieri, quanta in sano sit corpore, observarunt. Quem visceris illius tumorem, cum extrinsecus apparet splenocele appellatum, replere aiunt totum ventrem et praecordia magnopere coarctare. Cuius morbi incredibile paene exemplum oblatum est Pohlio, qui narrat, se in femina deprehendisse lienem viginti librarum et quatuor unciarum pondere, plus quam duorum cubitorum ambitum habentem, et in longitudinem duorum cubitorum et dimidii extractum. (vid. I. C. Pohlii diss. de tumore lienis saccato a causa hydropica. Lips. 1749. Plura super ea re invenies in Matth. Baillie Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile im menschl. Körper. a. d. engl. von Sömmering. Berlin 1794. et in Doct. G. Ch. Conradi's Handbuch der pathologischen Anatomie. Hannover 1796.) His de causis adducimur in eam sententiam, ut existimemus, vocabulum dierectus, quod de liene usurpatur, significare *expansum*, compositumque esse e duobus verbis *erigo* et *dirigo*, quasi dixeris *dierigo*, complectique amborum significationem. Rebus enim, quae expanduntur, et extenduntur, id accidit, ut simul *erigantur* h. e. sursum regantur, simul *dirigantur*, h. e. in diversum regantur. Iam in ista partium in diversum directione, quaerenda causa est, cur vocabulum *dirigi* adhiberetur etiam de iis rebus, quae dissecarentur, et diffinderentur. Quapropter manus abstineant critici ab istis temere vexatis locis, Plauti quidem, in Curcul. III. 54. *clypeatus elephantum ubi machaera dirigit*, et Nigidii apud Gellium 7. 9. *Serpens si momordit, gallina dirigitur et opponitur;* et Titinnii apud Nonium 4. 148. *Pernam totam dirigit.* Latini igitur quando dierectos homines dicebant, videntur mihi aeque ac Nonio cruci affixos intellexisse, non quoniam, ut ille putat, ad diem

erant erecti, sed quia ad palum in terra destitutum et erigebantur et manibus pedibusve in transversum dirigebantur. Id quod Plautus alibi sic exprimit: *distendite hominem divorsum et dispendite.* Mil. V. 14. *dispessis manibus.* Mil. II. 4. 7. Hinc factum est, ut dierectum eodem fere sensu dicerent, *quo furciferum*, et cum abire aliquem iuberent *dierectum*, innuerent *malam crucem.* Quemadmodum autem posterior vox pro quavis mala re adhiberi a Romanis coepta est, ita etiam quem *dierectum* appellabant, eum omnibus malis dignum esse declarabant, eoque vocabulo in exsecrationibus tam libere utebantur, ut non homines solum, sed etiam res, quibus mala imprecabantur, dierectas esse dicerent. Ceterum *dierectus* et *directus* promiscue posita esse videntur, atque hinc quibusdam locis petendam esse medicinam arbitror, veluti in Mercat. IV. 4. 16. ubi legendum censeo *abin' directus* aut *abin' dierecte*; et Trin. II 4. 56. *Abin hinc directe.* Ille autem in Curculione versus II. 1. 29. ita metiendus est: *Lien dierectu'st. Ambula, id lieni optumum'st.* Vocabulum enim *lien* per synaeresin a Plauto in unam syllabam contrahi solere, docuit Chr. Wasius in Senario s. de legibus et licentia veterum poetarum. Oxonii. 1687*).

MENAECH. ACT. V. Sc. IX. v. 97.

Venibunt servi, supellex, fundi, aedes, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia.

Verbum *licere*, ut alia impersonalia, fuisse olim, quamquam raro, pro definito personali adhibitum, pauca,

---

*) Bothius et Lindemannus, secuti auctoritatem Guilielmi, in eo, quem tractavimus loco, imperativum *i*, in codicibus et libris impressis vel deficientem vel post *cor meum* collocatum, recte posuerunt ante *dierectum.* Solemne enim Plauto est, in hac locutione imperativum praeponere. Quare dubito, an in Rudente IV. 4, 126. non scribendum sit *directa i*, sed potius *i directa*, quod omnes habent libri. Nam si quem brevis syllaba in fine vocabuli *directa* offendit, ei licet accipere illud pro ablativo cum sequenti *sucula* construendo. [Praeterea auctor etiam alium, quo sententia supra a se exposita maxime comprobetur, adscripsit locum e Mostell. III. 2, 163., quem versum ita metiendum esse:

quae in lexicis leguntur, exempla demonstrant; et quemadmodum dicitur *hoc licet* i. e. conceditur, permittitur: ita dici quoque solebat: *omnia licent* h. e. omnia conceduntur, permittuntur. In qua re, etsi omnes facile mecum consentientes habeam; verendum tamen est, ne iidem sententiae meae magnopere adversentur, statuentis, nullam aliam, quam quae modo dicta est, significationem verbo isti usquam tribuendam videri. Reperiuntur enim haud pauca scriptorum loca, ubi hoc vocabulum de emtione venditione ita adhibetur, ut vim vocabuli *venire* accepisse videatur. Ut enim tribus exemplis defungar, quid magis contra me fuerit, quam quod Plautus ait: Men. III. 3. 25. *ut quantum possint, quique liceant, veneant;* et Cic. ad Att. 12. 23. *de Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis;* et Martialis scilicet: *Non licet asse mihi, qui me non asse licetur?* In primo enim loco *licere* cum *venire* tanquam synonymum coniungitur: in secundo cum genitivo pretii occurrit: in tertio *liceri* et *licere* sibi opponuntur, nec deest ablativus pretii. Quare non dubitavit Forcellinus hoc verbum ab impersonali plane seiungere, et ita explicare: *Liceo: essere stimato nell incanto, essere prezzato, πλειστηριάζομαι, est in auctione aestimari.* Quem quidem grammaticum cum suis assensoribus in errore versari, et persuasum habeo, et paucis declarare studebo. Ac primo quidem mirari subit, quod verbum *licere*, isto, quem volunt, significatu nusquam cum subiecti casu ponatur. Quid enim merearis, ut unum manifestum exemplum huius usus mihi afferas! Nam quod Sanctius in Minerva ait I. p. 683. ed. Bauer. *libri licent, servi licent*, hoc in nullo scriptore reperitur, et de vocabulis *quique* et *quiqui* in Plautinis locis postea videbimus. Si autem Latini istud verbum cum subiecti nominativo coniunxerunt, quid impediit, quominus diceret aliquis, qui se venderet, *ego liceo?* sed, ut est in Sticho I. 3. 18. *venalis ego sum* et v. 41. *itaque auctionem praedicem, ipse ut veneam.* Cur nemo dicit *tu*

Ést, ubi canis est? ábi directá abin' hinc in malám crucem! nam Schoppii correctione metrum turbari. L.]

lices? et s. p. Tum frequens in Plauto horum duorum verborum *licere* et *venire* coniunctio de diverso significatu monere debebat; nisi quis odiosae tautologiae poetam insimulare velit. Deinde si ad tempus concedamus inter utrumque verbum hoc esse discrimen, ut *venire* significet *vendibile esse*, *licere* autem *dignum haberi, aestimari, pretio emi*, et voces istas *quique* et *quiqui* pro nominativis valere; tamen ne sic quidem res expediri, nec declarari potest, quo sensu Latini ita dixerint: *quiqui licebunt, venibunt.* Non quaeque enim, quae aestimantur, sunt venalia, sed quae venalia sunt, omnia aestimantur. Quam ob causam potius dicendum foret: *quiqui venibunt, licebunt.* Jam vero cum defendimus, *licere* nunquam significare *vendi* aut *aestimari*, non negamus verbum illud in emtione venditione adhiberi, sed eius rei notionem non isti vocabulo, sed eis, quae omissa sunt, inhaerere: ideoque eum semper esse ellipticum dicendi modum contendimus. Apparet hoc ex huiuscemodi locis: Epidic. III. 4. 35. *Estne emta mihi haec? istis legibus habeas licet*; et ad Attic. XII. 23. ubi post verba superius allata sequitur: *sed quanti quanti* (sc. licuerit), *bene emitur*, *quod necesse est.* Hinc enim elucet, supplendum esse vel *habere*, *emere*, vel *haberi*, *emi*, vel *ut habeatur*, *ematur*. Itaque genitivus ille *quanti*, vocabulo *licet* saepe additus, pendet ab omisso verbo *emere*, nominativus autem, ab infinitivo *emi*, aut formula *ut ematur.* (Non intellexit igitur Schellerus Plinium lib. XXXV. c. 10. scribentem: *percontantique quanti liceret opera effecta*, *parvum nescio quid dixerat* (Protogenes); cum *liceret* positum vellet pro *liceretur*, pro quo in Elzev. aeque male legitur *licitaretur.* Nullus enim artifex sua ipsius opera liceri aut licitari usquam dicitur, quod ementis, non vendentis est. Ibi autem *opera effecta* accusativi sunt, pendentes ab omisso *emi*, aut si nominativos esse mavis, suppleri debet, *ut emerentur.*) Fuisse autem Romanis solemne, ut emturientes rogarent: *licet emere?* non solum ex similibus formulis: *licet antestari*, *consulere*, *rogare?* et maxime, *licet possidere?* (in Cic. Or. pr. Quintio saepius) apparet; sed etiam exinde, quod posteaquam

in stipulando emtor interrogaverat: *estne mihi res illa illo pretio emta?* vel *tanti sunt mihi emtae?* venditor respondebat: *illis legibus habere licet*, vel etiam: *esto, sunt.* cfr. Brisson. de formulis VI. ab init. et locus e Dig. L. XIX. T. I. §. 18. ideo non mediocris exempli habendus, quoniam iurisconsultorum summus circa verborum proprietatem labor est, ubi haec leguntur: „Qui artem *habere licere* vendidit, videamus, quid debeat praestare" cfr. Instit. III. 24. 5. (Quam etiam causam puto, cur ea, quae proprie affirmantis venditoris responsio esset, in quavis adsensione adhiberetur, ut *licet* iam naturam particulae affirmativae acciperet. vid. Plaut. Rud. IV. 6.) Etsi autem satis idoneis argumentis probasse videmur, vocabulum *licere* per se nunquam significare vendi aut aestimari; tamen ea propterea non sufficere videri quibusdam possint, quod verbum *liceri* manifesto de iis dicatur, qui pretium aliquod emendae rei offerunt. Quae quidem vocabuli vis, unde derivanda sit, quoniam iuxta cum peritissimis ignoro, liceat meam qualemcunque proferre coniecturam. Fieri enim potuit, ut verbo *licere,* quod in aliis similibus observamus, olim non solum neutralis esset significatio, sed etiam activa, ex qua forsitan idem valebat, quod *dare potestatem*, *concedere.* Quo sumto *liceor* passivum esse potuit, et ita usurpari, ut *iubeor*, eo significatu: *mihi datur potestas.* (Nam multorum passivorum vim obliteratam esse, et in deponentialem transisse constat. vid. Perizon. ad Sanctium. T. I. p. 145. 376. 385. ed. Bauer.) Unde consuetudine sermonis videtur esse susceptum, ut is, cui in emtione daretur potestas emendi, *liceri*, id vero, cuius emendi facultas esset, *licere* diceretur. Itaque *liceor* accipio pro *liceor emere* h. e. *utor data potestate emendi.* Jam iis, quae hactenus disputavimus, paratam esse arbitramur loci illius Plautini, superius excerpti, interpretationem. Liquet enim ibi de auctione sermonem esse, quam futuram esse Messenio ita conclamat, ut conceptis verbis et formula ea in re solemni*) utatur.

---

*) Formula proscriptionis bonorum haec erat: Ille debitor

Nam in fragmento aliquo Plautus simili modo dicit: *Praeco ibi adsit cum corona; quique liceat, veneat.* Quo in loco illud *quique* antiquum dativum pro *quoique*, ut in altero *quiqui*, pro *quoiquoi* positum, supplendumque esse *emi* existimo. Hac autem formula Romani propterea utebantur, ut auctionem a privata venditione distinguerent, in qua non cuique rem aliquam emere licet, sed ei, qui conditionem affert, quae venditori placet. In publicis vero venditionibus res venales licitantibus addicuntur, non possessoris lege, sed emtionis iure, ex quo res, quam cuique licet habere, in eius venit possessionem, qui ultimus licitatus est, quanti quanti eam emerit. Haec vera rei ratio satis ostendit, falsas esse aliorum huius loci explicationes, qui, sive pro *quiqui* scriberent *quaeque*, sive illud *quiqui* de servis intelligerent, quos tamen antea iam memoraverat Menaechmus, omnino nihil egerunt. Nostram enim sententiam tertius quoque Plauti locus confirmat (Menaech. III, 3. 25.), ubi is magnas nugas egit, qui primus correxit: *quamque liceat.* Menaechmus enim palla et spinthere fraudare Erotium, easque res vendere decernit, et quoniam festinato opus est, non exspectare vult, donec bene vendere possit, sed curaturum se ait, *ut quantum possint*, h. e. quovis pretio, *veneant*, et *quique liceant*, h. e. quasi emtionis lege nemini non licitanti adiudicentur. „*Dass sie um ieden Preis dem ersten besten verkauft werden.*" Ceterum non opus esse, ut *quantum* mutetur in *quanti*, coecis, ut aiunt, satis clarum est. Latinos enim verbis aestimandi addidisse nonnunquam accusativos pretii, vel haec docebunt e Sall. Iug. c. 85. *parum id facio*, et *quod carum aestumant.* Exploratum igitur habemus, quid de duobus locis, de quibus aliquis dubitare possit, statuamus. Horatius enim, cum in Serm. I. 6. 12. ait: *Laevinum unius assis non unquam pretio pluris licuisse, notante iudice populo*, nihil aliud

---

noster in eiusmodi causa est, ut bona eius divendi debeant; quicunque emere volet, adesto. Vid. Heineccii Ant. Rom. iur. Syntagma. ed. quint. p. 401.

vult, nisi hoc; adeo contemtum fuisse illum hominem, nobilis Valerii prolem, ut, si pro servo vendendus fuisset, per populum uno asse habere licuisset. Martialis autem sententia in loco superius citato haec est: qui me flocci facit, ei vicem reddo ita, ut non asse mihi habere liceat, quia vel asse carus est.

PSEUD. ACT. I. Sc. IV. v. 20—22.

Huc adhibete aures, quae ego loquar, plagigera genera hominum,
Nunquam edepol vostrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum.
Qui nunc, doletne? hem, sic datur, si quis herum servos spernit.

Quae modo de elliptico usu verbi *licet* disseruimus, ea dederunt nobis ansam inquirendi in aliam ellipsin, cuius idoneam explicationem frustra ubivis circumspeximus. Loquimur de phrasi illa: *sic datur*, a Plauto praeter locum propositum bis in Menaechmis et semel in Truculento usurpata. Quam vocem esse iratorum et alios castigantium hominum interpretibus facile fuit intellectu, quippe quod e contexto sermone satis ubique apparet. Sed, quam vim ipsa verba habeant, a nemine est expositum. Plus enim, quam verbera, quibus aliquis castigatur, iis significari, ex eo elucet, quod adduntur nonnunquam vocabulo *hem*, quod aut per se solum (ut in Curcul. V. 2, 26.), aut adiecto *tibi*, (ibidem et Mil. V. 12.) aut sic etiam: *hem ergo hoc tibi*, (Asin. II, 4. 25.) aut cum accusativo nominis rei, ob quam quis verberabatur (ut in Poenulo I. 2, 169 et 170: *hem voluptatem tibi, hem mel, hem cor, hem labellum, hem salutem, hem savium.*) usurpare solebant, qui manibus ab aliquo poenas repetebant. Quid igitur illud est, quod *sic datur?* Haud absurdum foret *poenam* intelligere, nisi obstaret locus Terentianus in Phormione 5, 8. 37. ubi is, qui poenas sumit, non vero dat, similiter ait: *sic dabo.* Quo exemplo Forcellinum satis refutatum putem, apud

quem haec leguntur: *sic datur*, i. e. sic agitur, *feritur*. Nam altera illa phrasis *sic agitur* nec adhiberi solebat in castigando, nec apta est hominibus ira aestuantibus. Iam vero accuratius singulorum locorum, in quibus ista verba occurrunt, sententiam expiscantibus apparebit, agi de facinore, cuius perpetrati, perpetrandive veniam aliquis alicui sub conditione mali inferendi dare se profitetur. Quae manifesta ironia est, qua poena ipsa gravior magisque ignominiosa fit. Id quod Gruterus voluisse videtur dicens: esse hunc sermonem poenas sumtas gratulantis. Nunquam enim reperies hanc phrasin aliter usurpatam, quam ita, ut aliquis aliquid deliquisse dicatur, ob quod contumeliose tractetur. Ista igitur contumelia est quasi conditio, qua alteri saepius delinquere liceat. Itaque res ipsa monet nos ellipsin ita supplere, quasi dicendum esset: *sic datur venia.* Quod enim ad nostrum locum attinet, leno, postquam lorarios pessime mulcavit, et inter verberandum clamavit: *qui nunc? doletne? hem*, cum ista subiungit: *sic datur, si quis herum servos spernit*, nihil aliud, nisi hoc significat: *sic* i. e. hac plagarum conditione, *datur* sc. venia eius rei, quae sequitur, nempe, ut servus herum spernat. Eadem ratio est ceterorum locorum. Nam in Menaechmis IV, 2. 40. mulier virum percutiens ait: *sic datur* sc. venia auferendi uxoris pallam. Porro in eiusdem scenae v. 64. parasitus maritum ab uxore repelli gaudens inquit: *sic datur* sc. venia absente me comedendi prandium. In Truculento autem II. 8. 4. spretus amator abeunti meretrici plagam infligens, cum ait: *sic datur*, intelligit veniam bene merentem excludendi aedibus. Denique Phormio ille Terentianus postquam Chremetem omni mactavit infortunio, ait, *sic dabo* h. e. veniam Phormionem lacessendi. Quae cum ita sint, clarum est, vocabulum *datur* in eiusmodi locutione valere idem, quod *licet*, cum infinitivo, ex adiecta sententia supplendo, veluti: sic licet *spernere herum*, *auferre pallam*, *comedere prandium*, *lacessere Phormionem.* Quandoquidem vero male facere nunquam licet, nihil magis in aperto est, quam quod talis dictio usurpetur ἐν εἰρωνίᾳ καὶ ἐπιχαιρεκακίᾳ hominis laetantis,

quod aliquod facinus alicui non impune, nec tacitum abierit*).

MERCAT. ACT. V. Sc. IV. v. 8. 9.

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,
Suapte culpa genere capiunt genus, ingenium improbant.

Hic locus argumento esse potest, quam nihil criticorum arguta sedulitas subinde intentatum reliquerit, ut in dilucidandis auctorum classicorum obscuris locis, dum

*) Doctissimus Balbachius, vir cuius praematuram mortem et mea et literarum communium causa doleo, hanc nostram explicandae ellipsis rationem impeditam arbitratus, in libello egregio: *Observationes criticae in locos quosdam Plautinos*, *Erlangae* 1822, omnes fere locos, ubi reperiatur illa phrasis, optime intelligi statuit ope vocabuli *pretium* s. *praemium*, utroque significatu, quem habet illud ancipitem, adhibiti. Cui opinioni quo minus adstipuler, prohibet natura ellipsium, quae nec fieri nec agnosci recte possunt, nisi id quod ad perficiendam sententiam requiritur, tale est, quod aut vulgari sermonis consuetudine vel semper vel plerumque omittitur, aut proxime antecedentibus vel sequentibus verbis, etsi mutata orationis forma, indicatur, ut non dubium, sed certum sit, quid ad plenum sensum vel extrinsecus adduci, vel e continenti sermone repeti necesse sit. Quam quidem necessitatem cum Balbachii interpretatio non habeat, persto in mea sententia, cui stabiliendae inservit etiam ille dicendi usus, ex quo *dare* per se idem valet, quod *concedere*. Cic. Tusc. I, 32. *Eo concesso, id certe non dant.* Verr. V, 94. *Do vobis et concedo*, et Horat. Epist. I. 1, 32. *Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.* Consulto enim olim scripseram, me istam ellipsin ita supplere, *quasi* dicendum esset: *sic datur venia*, ex quo duo apparent, primum me non dicere voluisse, omissum esse vocabulum *venia*, sed *dare* significare in ista locutione *veniam dare*, unde sequatur, ut *datur* idem valeat, quod *licet* sive *conceditur;* deinde vero esse istam ellipsin eius generis, quod in antecedentibus habet, quo referatur. In qua postrema classe locus ille in Sticho V. 6, 5. *Euge, euge! Sic fieri datur*, ob similem quidem formam numerandus est, sed ob diversam vocabuli *datur* significationem aliter explicari debet. In ea enim, quam illustravimus dicendi formula *sic datur* significat: *ea conditione conceditur*, in hoc autem loco *sic* non *conditionem*, sed *modum* indicat, verbum autem *dare* propriam suam vim obtinet, qua idem valet, quod *praebere;* ut sensus sit: *hoc modo sc.*

ex omnibus latebris extractas congestasque afferunt coniecturas, multo nos incertiores sententiae reddant, quam antea. Sed omissis omnibus aliis, ne Salmasius quidem et Gronovius otio nostro pepercerunt. Uterque enim metri fuit immemor. Sive enim cum Salmasio legas: *Suopte culpam generi capiunt, genus ingenuùm improbant,* sive cum Gronovio: *Suopte culpam generi capiunt, genus ingenio improbant;* tamen versus claudicabit. Quare levissima mutatione versum sanari posse putavimus, si pro *genere* legatur *degener;* in quam coniecturam Lambinum iam incidisse posthac invenimus. Hic enim ita versum restituit: *Suapte culpa degener capiunt genus, ingenuum improbant.* Quam germanam esse lectionem verisimillimum est. Nam qui nobili loco natus malis suis moribus indigna suo genere admittit, is quasi degenerat, h. e. degener capit genus, et genus suum ingenuum improbat, h. e. damnat et irritum reddit. Extrema autem verba non sonare posse: *ingenium improbant,* in promtu est. Futilis enim foret haec sententia: *qui ingenio malo est, is ingenium improbat;* praesertim cum illa significatio vocabuli *improbare,* quae sit *corrumpere, improbum facere,* auctoritate careat. Denique non pervideo, quid impulerit Gronovium, ut diceret, poetam et generis et ingenii mentionem tam posteriore, quam priore versu facere debuisse.

---

stando i. e. *obiter*, *furtim amantes inter se dant suavia.* Eadem praebendi significatione usurpatur verbum *dare* in ceteris a Balbachio allatis locis: Poenul. V. 5, 7. Persa II. 4, 20. Asinar. II. 4, 33, quare eorum explicatio ad rem praesentem nihil pertinet.

XII.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

QUARTUM.

PLAUTI MOSTELLARIA.

ACT. I. Sc. III. v. 84.

Edepol si summo Iovi vivo argento sacrificassem
Pro illius capite quod dedi, nunquam aeque id bene collocassem.

Nihil esse tam absurdum, quod naturae quidam scrutatores, satis curiosi illi quidem, sed obscurae sapientiae fumum potius, quam rectae rationis et experientiae lucem secuti, non statuerint, e nulla re clarius apparet, quam ex insano isto studio, quo arcanae Chemiae cultores Mercurio, tanquam deo, omnium naturae causarum inventionem et potestatem vindicare voluerunt. Quae res eos cum ad alios praeposteros conatus, tum eo quoque impulit, ut auctorum classicorum loca circumspicerent, quae misere torquendo et ἀλληγορικῶς interpretando ad aegrae suae mentis somnia stabilienda adhiberent. Hanc igitur iniuriam noster quoque locus Plautinus expertus est, e quo Olaus Borrichius (in libro: Hermetis Aegyptiorum et Chemicorum sapientia. Hafn. 1674. p. 92.)

constare ait, veteres argento vivo sacrificasse Iovi, nempe arietina cornua habenti illi, quo arcanum illud arietis et Mercurii connubium significetur, ab eruditissimis aliis viris in ista quoque de aureo vellere fabula repertum. Cui quidem sententiae, per se satis ineptae, et a nullo alio auctore classico, quod falso statuit Borrichius, confirmatae, quam nullo modo noster locus patrocinetur, vel mediocri animi attentione intelligitur. Nam si Borrichius vel proxime sequentem versum accurate inspexisset, haud dubie vidisset, argentum illud vivum nullum aliud dici, quam quod adolescens pro amicae suae capite dederit, triginta quippe minas, quae disertis verbis versu 142 commemorantur. Has ait Philolaches non melius potuisse collocari, ne si ipsi quidem Iovi sacrificasset. Videndum igitur est, ne invitae antiquitati, posterorum inscientiae aut incogitantiae culpam in multis aliis rebus immerito sustinenti, ille quoque inauditus mos obtrudatur. Quod ne fiat cavetur quidem Camerarii correctione, pro *vivo* legentis *illo*; sed textus integritati minus bene consulitur. Haud dubie enim vera lectio est *vivo argento*, quae optimorum librorum auctoritate stabilitur, modo ne de metallo illo cogitemus, quod Graeci *ὑδράργυρον* vocarunt; quodque etiam si minus incertum esset, utrum Romanis Plauti tempore iam cognitum fuerit*); tamen hic neutiquam locum habere potest. Manifestus enim

---

*) Argenti vivi vel hydrargyri praeter Plinium H. N. 33, 6. nullus scriptorum Romanorum mentionem facit. Mercurii nomen, a quo primum huic metallo tribui coeptum sit, nescio. Mentitur enim Borrichius l. c. p. 96. cum de hydrargino annulo die Mercurii ab Apollonio gestando ad Philostratum provocet. vid. Philostr. ed. Olear. p. 130. Sed illud reperire mihi contigit, unde argento vivo Mercurii nomen datum sit. Nempe quod Chemici in verbis illis Homeri Iliad. Ω. 399. personato Mercurio tributis:

ἓξ δέ οἱ υἷες ἔασιν, ἐγὼ δέ τοι ἕβδομός εἰμι.

quemadmodum alii fundum opinionis de septimi cuiusque filii singulari fortuna reperisse sibi visi sunt, sic isti septenario numero septimum metallum significari arbitrabantur. Borrichius enim l. c. p. 54. postquam illum versum citavit, ita pergit: „Ubi Hermes nomen suum communicat argento vivo, metallorum septimo, in quo fortassis figendo occupabatur.“ et pag. 95. „Fortasse tamen

sermo de pecunia est; quae quidem rem obiter consideranti videri possit ita *vivum argentum* dici, ut a Cicerone in his duobus locis: pro Flacco c. 37. *dat de lucro, nihil detrahit de vivo*, et in Verr. III. c. 50. *de vivo igitur erat aliquid resecandum.* Sed hoc interest, quod in utroque loco *vivum* opponitur ei, quod quis lucro facit, et significat *ipsam sortem et caput pecuniae*, quatenus refertur ad *fructus*, unde necessarii sumtus faciendi sint; propter eaque a Cicerone vivum dicitur, quod qui eo redactus est, ut ipsam sortem minuat, quasi de vivo corpore resecare aliquid cogitur. In nostro autem loco nulla adolescentis sors est, sed pecunia a danista fenore sumta. Existimamus igitur vivum argentum hic non aliter dici, quam ferrum ab Ovidio in Amor. III. 6. 59.

ille habet et silices, et *vivum* in pectore *ferrum*.

quod male a quoquam in *durum* mutatum est. Vivum enim latine significat idem quod *nativum*, *purum*, *solidum*. Sic *vivum* quoque *sulphur* dicitur. Proinde videtur nobis Philolaches nihil aliud voluisse, quam pecuniae pro puella solutae maius quoddam pretium statuere; plane ut apud nos faciunt homines, quos aut impensae pecuniae poenitet, aut extollendi beneficii voluntas subit, cum dicunt: *das gediegene Silber, das schöne blanke Geld.*

---

primus omnium Hermes minium in vivum metallum transtulit, et propterea nomen suum indidit nobili invento." Quod vero Plinius (libr. 33. n. 20.) ait: *aes inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro, legitimum erat;* et (n. 42.) *hydrargyro argentum inauratur solum nunc prope;* inde non sequitur, hunc eius metalli usum iam Plauti aetate cognitum fuisse. Potuerunt enim aurifices olim alia quoque re inaurasse, ut chrysocolla quidem, quam ipse Plinius n. 29. commemorat: *chrysocollam et aurifices sibi vindicant agglutinando auro.* Neque vero etiam ex antiquissimo minii usu probabilem coniecturam de antiqua argenti vivi cognitione facere licet; quandoquidem certum est, vocabulum minium modo de eo usurpari, quod postea cinnabari dictum est; modo de eo, quod ex exusto plumbo fit; (v. Mineralogie der Alten von L. v. Launay. 2ter Theil. a pag. 276.) modo idem significare, quod Sil Atticum Romanorum. (vid. Hills Anmerkungen zu Theophrast von den Steinen. Nürnberg, 1770. p. 289.)

ACT. II. Sc. I. v. 60 et 61.

Pluma haud interest, patronus, an cliens probior siet Homini, quoi nulla in pectore est audacia.

In codicibus et editionibus aliis *probior*, in aliis *propior* legitur. Quarum lectionum posterior videtur originem suam debere librario non observanti tertium casum *homini* pro primo per antiptosin esse positum. In quo errore versatus est etiam Schmiederus, qui, dum *probior* servavit, locumque ita explicuit: „*Pluma haud interest* aequi bonique faciunt *patronus an cliens* superior an inferior aliquis *probior sit* ad efficiendum id, quod *opus est*, aptior sit *homini*, alicui, *cui nulla est in pectore audacia*, qui ipse neque consilii locum habet, neque auxilii copiam" sententiam non satis veram ex hoc loco extricavit. Nam profecto non proinde est, quis aptior sit homini alicui, cui nulla est in pectore audacia. Maiorem habet veritatis speciem Gronovii interpretatio, amplectentis quidem lectionem *propior*, sed totum locum ita explicantis: „Parum refert patroni magis nomen, an magis clientis ferat advocatus, patroni magis an clientis nomine adsit, proximus sit, qui timidus est, eoque non plus adiumenti adest, quam si nunquam natus sit." Sed aliam tamen fuisse Plauti sententiam persuasissimum habeo. Quamquam enim Ciceronis auctoritate acquiescens libenter concedo, *proximum* pro *advocato* latine dici potuisse; tamen cum hic neque de iudicio sermo sit, neque Philolaches servo suam advocati operam polliceatur, apparet eiusmodi interpretationem contextae orationi repugnare. Tantum enim abest, ut Tranioni adolescens operam suam promittat, ut se potius in illius custodiam tradat, et quasi mutatis partibus servum sibi patronum, se servi clientem faciat. Quam quidem heri humilitatem, a metu et consilii inopia profectam, nihil ad propulsandum imminens periculum profuturam, sed audacia esse opus, ideoque se nihil morari tam meticulosum hominem, Tranio significaturus, *pluma haud interest*, inquit, *patronus an cliens probior siet homini etc.* Quae verba, quid aliud possunt in hac orationis perpetuitate significare,

quam hoc: pavidus homo inutilis et patronus et cliens est? Id quod sequentia quoque declarant, quorum sententia haec est: oportet esse audacem atque callidum et male factorum malos eventus prohibere.

A C T. II. Sc. II. v. 83.

Th. *Heus Tranio.* Tr. *non me appellabis, si sapis.*
Nihil ego commerui, neque istas percussi fores.

Falso priora verba Theuropidae tribuuntur, neque sequentia ei a Tranione dicuntur; id quod e v. 86 elucet. Tum enim inepta esset ista interrogatio: *an, quaeso, tu appellaveras?* Sed Philolaches aedibus inclusus, ibique cum sodalibus vitandi omnis strepitus tam parum memor, ut Tranio v. 78 merito timeat, ne isti totam rem conturbent, iam cogniturus, quo in loco res essent, appellaverat servum: *heus Tranio;* quo ille magnopere perturbatus, quippe formidans, ne iste suo se prodat indicio, et senex ipsum in manifesto mendacio deprehendat, iubet eum, si sapiat, tacere, se enim non esse, qui fores percusserit. Quae cum ita dixisset, ut a sene audiri quidem, sed non intelligi possent, et ille quidem cum interrogasset v. 85. *quaeso quid aegre est? quae res te agitat Tranio? quicum istaec loquere?* Tranio callide simulat, se in errore hactenus versatum, cum existimaret spectrum intus esse locutum, novaque fraude herum a foribus removere instituit. Quod vero Bothius extrema verba versus 81. *etiam tu fugis?* Tranioni, sequentia autem Theuropidae tribuenda putavit, in eo erravit. Senex enim vult, ut servus secum fugiat, quod ille opus esse negat, quia nihil formidet; id quod senem de se praedicare non potuisse, docent illa in versu 76: *guttam haud habeo sanguinis.*

A C T. III. Sc. I. v. 63—66.

Responsiones omnes hoc verbo eripite.
Tr. *Sortem accipe.* Da. *imo foenus, id primum volo.*
Tr. *Quid tu, homo hominum omnium teterrime,*
Venisti huc extentatum!

In his versibus primo metrum claudicat, quod ita fulciendum censeo, ut pro *verbo eripite* legam *verbum eripit.* Nam *eripit* habet etiam Codex Lips. et Editio princeps, primum autem nominis casum sensus postulat. Pro *quid tu homo* ponam *quid tute o homo.* Deinde vocabulum istud *extentatum*, cuius aptam huic loco significationem nemo interpretum exhibuit, quippe cum *extentare* pro *vocem suam experiri* non latinum sit, sentio equidem in mendo cubare, sed omnes de vera lectione factae hactenus coniecturae mihi displicent. Nam, quod Lambinus in medium attulit *externatum*, non congruere videtur ad praesentem danistae animi conditionem. Non modo enim ille sese mente non alienatum ostendit, sed ne minimam quidem commotionem animi prae se fert, et adeo se in potestate habet, ut maximis conviciis nihil opprobrii regerat. Ceterae autem emendationes vel metro aut contextui repugnant, vel non habent facilitatis commendationem. Videant igitur eruditi, an probabilior mea sit coniectura, ex qua pro *extentatum* legendum arbitror *extenuatum*, quod est quasi *exhaustum* et *exinanitum.* Hoc enim optime cum contexto sermone convenit. Ubi enim Tranio videt, se non defungi posse sortis solvendae promissione, sed danistam foenus ante omnia pertinaciter postulare, acriter in eum invehitur, tanquam in hominem, qui eo consilio huc venerit, ut herum suum pessundet, atque ad summam egestatem et tenuitatem redigat. Qua de causa agit pro more hominum a molestis flagitatoribus ad incitas redactorum, qui se omnino quidquam debere audacter negant.

A C T. V. Sc. I, v. 20—12.

Ubi ego video rem vorti in meo foro, quantum potest,
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida est:
Pergunt turbare usque ut ne quid possit conquiescere.

Non fugit doctos homines, quam saepe auctorum classicorum interpretes prae nimio eruditionis expromendae studio a vero videndo in transversum acti sint. Eius

rei documento hic locus esse potest, in quo, cum Tranio sui fori mentionem faciat, Lambinus recordatus illius iuris regulae, qua actor rei, non reus actoris forum sequi iubebatur, hanc censuit inesse sententiam: *Ubi ego video litem in meo foro agi, ita ut non possim recusare, quo minus iudicium accipiam et patiar.* Quem secutus Forcellinus verba ista: *res in meo foro vertitur*, in Lexico suo proverbium esse ait, et sic interpretatur: res mihi est cum iis, quos vitare non possum, quemadmodum in suo foro recusare nemo potest, quin iudicium subeat: vel versor in periculo, quod non possum effugere. Sed errare utrumque in proclivi est. Servus enim, cuius illa verba sunt, iam non causam suam apud senilem herum, tanquam in iudicio disceptandam, dicebat, sed id agebat, ut in re turbida optimum caperet consilium. Convocat igitur congerrones suos, quibuscum de communi causa deliberet. Sed ab eorum, suae saluti unice prospicientium, concilio exclusus, iam in suo foro rem verti intelligit. Apparet igitur, causam hic loci agendam e genere deliberativo, non iudiciali esse, et senatum, unde fuit semotus Tranio, atque forum sibi respondere. Iam cum in senatu illo non ex unius, sed plurium sententia, decretum faciendum esset, in oculos incurrit, Tranionem ab hoc senatu segregatum, cum dicat: *video rem vorti in meo foro*, nihil dicere, nisi hoc: *video rem per me stare, a meo pendere iudicio et arbitrio, quid faciendum sit, quid non.* Quam quidem vim his verbis tribui non solum sententiarum constantia postulat, sed latinitas quoque concedit. Forum enim non minus respectu iudicis, quam actoris et rei dicitur; et quemadmodum hi forum suum appellant, ubi ipsorum, non alienis legibus controversiae dirimuntur, ita iudicis forum est, in quo ipse regnat, neque alieno, sed suo moderamine et arbitrio res geritur.

XIII.

P L A U T I N O R U M

CUPEDIORUM FERCULUM

QUINTUM.

POENULUS.

PROL. v. 16.

Bonum factum, edicta ut servetis mea.

Iamdudum grammaticis observatum est, *bonum factum* et *bene factum* ita differre, ut hoc usurpetur ab hominibus facinus aliquod probantibus, inprimis cum laetitia et gratulatione: illud in solemnibus formulis numeretur, quibus boni ominis causa vel privatam, vel publicam rem auspicari soleant, edictorum maxime formulis, quod Brissonius lib. III. c. I. multis exemplis confirmavit. Quam quidem dictionum differentiam ita constanter teneri ab auctoribus vidimus, ut ne unum quidem exemplum contrarium hactenus legerimus. Nam quem Schellerus in Lexico Plautinum citavit locum e Pseudolo I. 2, 52. eum haud dubie non suis oculis inspexit. Primo enim ibi non legitur *bonum*, sed *optimum factum*; deinde plus quam verosimile est, scripsisse poetam: *factu est optimum**); id quod latinitas postulabat, ex qua *optime*

---

*) Sic Bothius quoque emendavit.

vel *optimum factum* dicitur de re praeterita et perfecta, sed *factu optimum* rem indicat futuram, quasi *optimum quod fiat.* Atque haec sola est sententia citato loco consentanea. Sed ad *bonum factum* revertimur. Dedit ista solemnis edictorum praefatio Brissonio ansam emendandi loci Aurelii Victoris c. 49. ubi ille pro *quasi bonum factum*, legere iubet, *quare bonum factum;* quae sane vel ingeniosa coniectura est, cum vocabulum illud *quasi*, quod ex aliis editionibus exulat, satis incommodum videatur, vel alieni erroris importune capta occasio, si forte recordatus fuerit notae illius Q. B. F. a Valerio Probo ita explicatae: *quare bonum factum.* Hoc enim Valerii interpretamentum per se falsum esse ex eo apparet, quod non aliorum verborum compendium per notas in monumentis publicis fieri solebat, quam quorum et usus frequens, et explicatio facilis, et sententia absoluta esset. Quae postrema ratio cum abhorreat ab enunciationibus conclusivis, elucet, particulas eo pertinentes notis exprimi non potuisse. Id quod ipsi Valerio suboluit; fluctuavit enim in interpretandis illis literis, scribens: *quaero*, vel *quare bonum factum*, vel *quare bonum facis.* Sed per omnia erravit. Istae enim notae haud dubie significant: *quod bene fiat.* Haud melius vero explanavit ille notas his statim subiunctas: Q. B. M. V. *quare bene mecum vixit.* Quae quidem interpretatio ex omni parte repugnat legi isti, quam in notis perscribendis sanxisse sibi veteres diximus. In promtu autem explicatio est. Vix enim aliud quidquam significare poterant illae literae, quam *quod bene mihi vertat!*

ACT. I. Sc. II. v. 162 et 163.

Ad. *Abscede hinc sis, sycophanta.* Mil. *Pareo, at scin quomodo?*
Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium.

Ut haec vulgo personis distincta leguntur, difficilem habent explicationem, quippe cum illa *at scin quomodo*, si ad verbum *pareo* referantur, promittant obedientiae

descriptionem, quae tamen nulla sequitur. Censemus igitur excidisse hoc in loco personarum notationem, et illa, *at scin quomodo*, Adelphasio*), sequentia rursus Milphioni esse tribuenda. Quod si fecerimus, in vado erit omnis res**). Milphio enim a puella, cui diu molestus precibus fuerat, abire iussus, promittit quidem, se pariturum esse, sed propius accedens eam haud dubie expalpare et demulcere instituit. Quod illa aegerrime ferens exclamat: *at scin quomodo!* Est autem haec formula Plauto perfamiliaris, qua quis alteri aliquid facere conanti malum consilii exitum vel minatur, ut in Rud. III. 5, 18. Poenul. I. 3, 29. et nostro in loco; vel saltem praedicit, ut in Aulul. II. 4, 28. Oratio vero est abrupta; nam plena ita sonat: *at scin quomodo res se tibi habet?* Aulul. I. 1, 8. vel ut apud Terentium dicitur: *scin tu, ut tibi res se habeat!* Eunuch. IV. 7, 30. Milphio autem, cuius plurimum intererat exorari Adelphasium, ne sic quidem absterretur, sed pergit deprecari: *sine te exorem* etc.

A C T. I. Sc. III. v. 34 35.

Num isti quidem hercle orationi Oedipo
Opus est coniectore, qui sphingi interpres fuit.

Haec verba, ubi rectius metri causa legeris *coniectore opus est*, (graece μαντείας δεῖται) refert Schmiederus ad orationem Milphionis v. 22. 23. 24. propositam, ad quam intelligendam vere Oedipo coniectore opus fuisse dicit. In quo me non habet consentientem. Est enim illorum versuum sententia tam perspicua, ut ipse Gronovius, quamvis scita sua interpretatione, non magnam legentium gratiam iniisse videatur. Sed respicit Milphio

---

*) Non Agorastocli, ut Bothio visum est ex causa mihi ideo non probabili, quoniam istam dictionem nusquam invenis usurpatam ab interloquente, sed semper ab eo, quocum in praesenti sermo est.

**) Verum me vidisse, cognovi e Codice Lipsiensi, qui hanc ipsam, quam desidero, exhibet personarum distinctionem.

ad inanium illorum verborum ambagem, qua perditus ille amator, Agorastocles, manumissionis fidem ei facere conatur. Qua in re cum v. 22 — 24. satis nugatus esset, neque haberet, quid adderet, ne sales consumti appareant, meris obtestationibus tempus terere incipit, ut, quum nihil dicat, dixisse tamen aliquid videatur. Neque ista verba per se obscura sunt; sed quo tendat illa oratio, quidque confirmandae fidei causa Agorastocles adiungere velit, hoc est, quod Milphio se ulla coniectura assequi posse negat. Cuius quidem auctoritate abusi interpretes videntur mihi ab explicando loco illo temere abstinuisse, atque ea ipsa tacita praeteriisse, quae grammatici alicuius auxilio utique egebant. Nam primo offendere possunt legentes in vocabulo *quippini*, quod cum ab interrogantibus ita usurpetur, ut praecedentia concedantur; videri possit adolescens ipse sibi repugnare, et dicere, verbis opus esse, ubi mox unum verbum sufficere contendit. Sed *quippini?* non referendum est ad id, quod verba sonant, sed quod significant. Nam *quid opus est verbis* valet idem ac, *non opus est verbis*, aut *brevis ero*. Huic vero sententiae bene respondet, *quippini?* Deinde non animadversum est, ista vocabula *scin quomodo* non posse ab Agorastocle dici, cum, ut demonstravimus, haec sit formula malum minitantis. Quapropter ego censeo haec Milphioni tribuenda esse, utpote vaniloquentiae adolescentis merito succensenti. Sed difficillimum est versus 32 initium: *Scin' quam? vide tu.* Equidem vero haec illustrari posse puto e simili Terentii loco, in Phormione I. 2, 61. *Scin' quam? quo evadat, vide.* Quae oratio est monentis interpellatorem, ut expectet, donec oratio finita sit, estque elliptica phrasis, me iudice ita supplenda: *scin' quam rem dicere velim?* Quo sumto necesse est, ut praecedentia *ita me Iuppiter* etiam Milphio dicat, plenus indignatione ob infinitam adolescentis garrulitatem. Quare iam totum locum a versu 26 ita vertendum esse arbitramur:

Noch dies, noch jenes, noch — wahrhaftig ernstlich jetzt,
Noch, ja wahrhaftig; doch es braucht nicht Worte, nein,

Da man mit einem Wort hier alles sagen kann.
Noch, wirklich ja im Ernst gesagt. Milph. *Ich rathe dir!*
Agor. *So wahr mich Gott liebt! Willst du dass ich offen sey?*
Was unter uns statt finden muss. Milph. *Mich strafe Gott. —*
Agor. *Du weist ja nicht, sieh nur; schenkst du mir Glauben wohl?*
Milph. *Wenn du nicht fortzubringen bist, so geh ich selbst.*
Denn deine Rede hat fürwahr den Oedipus
Zum Deuter nöthig, der dem Sphinx die Lösung gab.

Vellem profligasset doctissimus Koepkius egregiam Plautinarum fabularum versionem germanicam, ut quid de hoc loco statueret, cognoscere possem. Is enim primus est, qui Plautum germanico ore recte et eleganter loqui docuit.

ACT. III. Sc. I. v. 66.

Optume itis, pessume hercle dicitis.

Fugit huius loci sensus acumen Acidalii, transpositionem vocularum ideo odorantis, quod intelligere non poterat, quid advocati pessime dixisse Agorastocli viderentur. Iussit igitur verborum ordinem ita constitui: *pessume itis, optume hercle dicitis.* Sed non vidit isto pacto omnem orationis vim adeo reddi languidam, ut non appareat, quo consilio ista verba ab adolescente dicantur. Cui malo occurrere cupiens Boxhornius ironiam subesse putavit, quam nos agnoscere hic non possumus, propterea, quod ea ironiae virtus est, ut contrarium dictionis alicuius aut e persona dicentis, aut e natura rei appareat, non vero disertis verbis significetur. Iam vero, quum in hac scena adolescens saepius de tarditate amicorum conquestus sit, et mox post illa verba: *optume itis*, sequantur haec: *quin etiam deciderint vobis femina in talos velim*, quae idem valent, ac *velim, ut crura vobis confringantur*, quod malum tardis hominibus vulgo imprecari solent; inducere animum non possum, ut ironiae hic locum esse concedam. Existimo potius

adolescentem, isto advocatorum abeundi consilio et repetita de sua tarditate confessione offensum, eos missos facere, et verbis illis *optime itis* eos valere iubere, quasi dicat, *optime facitis, quod itis.* Causa statim additur, nam *pessime hercle dicitis*, quippe iubentes me, qui vestro auxilio fretus sim, valere et alios advocatos quaerere. Quam quidem nostram sententiam sequentia bene adiuvant. Indignationi enim, quacum eos abire iusserat, subiungit ex vulgi consuetudine mali imprecationem: *quin etiam deciderint* etc. Quae verba cum praecedentibus non facile coniungere possis, nisi illis *optime itis* eandem, quam nos, sententiam tribueris.

A C T. III. Sc. III. v. 88.

Ibi te replebo unguentum echeumatis.

Non integrum esse hunc locum ipsa metri perturbatio indicat. Praeterea vero non intelligitur, quid sibi velint ista *unguentum echeumata*, quod vocabuli monstrum, graecam originem prodens illud quidem, scribendum saltem erat eccheuma, quasi ab ἐκχέω ductum, cuiusmodi tamen formae nomen auctores ignorant, pro eo usurpantes ἔκχυσις, ab ἐκχέω derivatum. Ut vero vocabulum ἔκχευμα a quibusdam graeculis Plauti aetate usurpatum fuerit; tamen id verae eloquentiae peritis vix fidem faciet a poeta dici potuisse: *replebo te unguentum eccheumatis* h. e. *effusionibus;* quippe quae dicendi ratio dithyrambico tumori proprior esset, quam graecae pariter atque latinae poeseos elegantiae. Tentavimus igitur hanc verborum correctionem: *unguentorum* (quod Aldina a. 1522 habet) *ocheteumatis* h. e. *canalibus.* Quo quidem modo non solum metro, sed etiam sententiae optime consulitur. Hoc enim bene convenit ridiculae lenonis vanitati, captandi lucelli gratia magno hiatu nihil deliciarum non promittere, augendoque omnem fidem superiicere.

A C T. III. Sc. IV. v. 15.

Ag. *Rem adversus populi saepe leges?* Ad. *Scivimus.*

Salmasius iubet veterem lectionem reponi, quae in suo Cantabrico codice inveniatur: *rem adversus populi*

esse leges. Videlicet offendebatur vocabulo *saepe*, quo quid faceret nesciebat. Sed ista codicis lectione versus mensura violatur; neque omnino ulla mutatione opus est. Valet enim *saepe* hic pro adiectivo, quasi dicat *crebrae, saepe datae et renovatae leges.*

Hic vero mirari subit, quod nemo interpretum in vocabulo *scivimus* offenderit, cuius inusitata hoc in loco significatio, ubi vim praesentis habet, utique digna erat, quae grammatici cuiusdam diligentia enuclearetur. Utamur igitur hac occasione, ut in diversas, quas verbum *scire* habet significationes, accuratius inquiramus, easque cum inter se, tum ab aliis eiusdem originis verbis probe discernamus. Hac enim parte latina Lexica satis adhuc laborare constat. Sunt autem quatuor vocabula e communi fonte oriunda: *scio, scisco, scitor, sciscitor,* quibus Latini eas animi actiones exprimunt, quum munere cognoscendi fungitur. In quo negotio quum mens a quaerendo et indagando ordiatur, factum est, ut haec verba primo significarent *cognoscere velle et studere, wissen wollen.* Quam vim duo postrema verba solam retinuerunt, priora amiserunt, sed ita, ut antiquissimae potestatis vestigia in secunda significatione supersint. Haec vero est *cognoscere, comperire, zum wissen gelangen, erfahren.* Nam cum Latini dicunt, posse aliquem aliquid ex aliquo homine vel de eo scire, id ita semper dicunt, ut eum iubeant adire alterum, et ex eo quaerere. Sed, omissis quoque illis praepositionibus, *scire* et *sciscere* simpliciter pro *cognoscere* usurpant; veluti Ter. Andr. II. 5, 2. *ut quid ageret de nuptiis, scirem.* Plaut. Bacch. II. 3, 68. *ut id factum sciscerent.* Cuius quidem significationis possessionem eripuisse verbo *scire* alterum illud *sciscere,* ex usu dicendi et compositis verbis *praesciscere* et *resciscere* manifestum fit, minus clare intelligitur ex praeterito *scivimus*, quae forma utrique verbo communis est. Sed ut ut sit, id tamen caret dubio, debere nostro in loco *scivimus* idem valere quod *novimus*, quae praeteriti vis non potest intelligi, nisi praesentibus *scio* et *scisco* eandem tribuas significationem, quae verbo *nosco* propria est. Exinde vero nata est tertia significatio,

in qua verbo *scire* proprium est domicilium. Quidquid enim *scivimus* h. e. *cognovimus*, id iam cognitum et compertum habemus. Hinc *scire* est *scientiam rei habere*, *wissen*, et *scitus* (activa significatione, qui cognovit et expertus est, vid. Perizon. ad Sanct. I. 154 et 162. ed. Bauer. et Seyferts lat. Sprachlehre IV. p. 194.) i. q. *doctus*, *peritus*, *scientia pollens*. Sed haec tralaticia sunt. Illud vero minus in proclivi, dicere, quonam modo duo illa verba *scire* atque *sciscere* in fori consuetudinem abierint. Constat enim utrumque vocabulum usurpatum fuisse de iis quoque rebus, quas universa plebs, initis suffragiis, fieri iuberet. Cuius rei ratio ab extrema cogitantis animi functione repetenda est. Scientiam enim comitatur assensus, quo suspenso, non scire nos, sed dubitare solemus. Comprobante autem mente eam, quam percepimus, rerum cognitionem, certam nos atque exploratam habere notitiam h. e. scire nos aliquid existimamus. Hinc *scire* atque *sciscere* pro *comprobare* usurpari coepit. Cuius significationis manifesta supersunt vestigia in verbis compositis, ut statim videbimus. Sed illa primitivorum vis, nescio qua de causa, plebis populive concionibus maxime servata fuit, in quibus si qua tribuni rogatio centuriarum suffragiis comprobabatur, eam *scire* vel *sciscere* populus dicebatur v. c. Liv. XXVI. 33. *ut tribunus plebis rogationem ferret*, *sciretque plebs* etc. Cic. de legg. III. 15. *rogatio scienda.* Id. pro Flacco 7, *quae scisceret plebs* etc. Qui quidem dicendi usus a prima istorum vocabulorum significatione haud quaquam alienus est. Valet enim idem fere, quod *velle cognitum*, *wissen lassen;* nempe quid de re, tuo arbitrio permissa, sentias et statuas, h. e. decernas. Neque vero solum de populi universi decretis usurpatum fuit, sed etiam de singulorum hominum suffragantium sententiis, ut Festus: *ni quid scivit,* imo de ipsa lege: Digg. lib. 46. tit. 3. l. 98. *denique lex XII. tabb. tignum aedibus iunctum vindicari posse scit.* Sed redeamus ad verba composita, *adsciscere*, *consciscere*, *desciscere*, quibus comprobandi vim subesse diximus. Quid enim est *adsciscere* aliud, quam *probatum aut decretum vel sibi adsumere*, *vel*

alii adiungere? quid *consciscere* aliud, quam *probatum sibi conciliare, aut decretum conficere?* quid *desciscere* aliud, quam *ab eo, quod antea probatum aut decretum erat, deficere?* Quae si probe memineris, haud difficile erit iudicare, quid illis facias locis, in quibus librarii et grammatici istorum verborum praeterita, cum iisdem temporibus verborum *accire* et *concire* permutaverunt. In illis enim inest significatio perpetui alicuius consilii, in his praesentis et repentini usus. Nam qui *adscivit* aliquem, is diuturnam eius societatem spectavit; qui *accivit*, is rei in praesentia gerendae causa arcessivit. Similiter hostem nobis *concimus*, amicum consciscimus. Ubi vero conscitam mortem aut bellum Latini dicunt, ibi ex vulgari usu composito pro simplici verbo utuntur, et decreta ea esse intelligunt. Denique mirati sumus Gellium, nescire se dicentem (II. 10.), cur in uno verbo *rescire* praepositio vim habeat, a communi ceterorum verborum cum ea compositorum consuetudine alienam. Is enim in duplici errore versatus est. Primo, quod contendit, eum proprie *rescire* dici, qui factum aliquod occultius cognoscat; quasi vero non omnia, quae cognoscimus, ante occulta fuerint, quam cognoverimus. Saltem dicendum ei erat: *de industria occulta.* Quamquam ne haec quidem perpetua verbi significatio est. Deinde vero meminisse debebat, non solam esse isti particulae vim, quam vocabulum *retro* exprimit, sed multiplicem usum habere (vid. Forcellinus in lex.), inque hoc verbo indicare repetitum studium, quo iterum ac saepius aliquid quaerimus et quaerendo cognoscimus, ut paene respondeat vernaculo *ausspaehen.* Ceterum magnopere dubito, an nunquam Latini *rescire* dixerint, cum extra praeteritum, quod in omnibus istis compositis *scivi* sonat, reliqua tempora a sciscendo deriventur, ista autem coniugata *conscire* et *nescire* comparari nequeant, quippe quae eam habeant significationem, in qua forma infinitivi *scire* regnare solet.

XIV.

P L A U T I N O R U M

CUPEDIORUM FERCULUM

SEXTUM.

ASINARIA I. 1, 69. 70.

Li. *Demiror quid sit, et quo evadat, sum in metu.*
De. *Equidem scio iam, filius quod amet meus.*

Hi versus male interrumpunt orationis cursum, qui facilis est et rei accommodatissimus, si ad id, quod senex dixerat: *cupio esse amicae quod det argentum suae*, servus statim subiungit: *cupis id, quod cupere te nequicquam intelligo.* Nam non minus ineptum est, servum, voluntate senis satis declarata, adhuc demirari, quid sit, et quo res evadat metuere, quam illud quod pater dicit, *scire se iam h. e.* nunc, *amare filium*, quod iisdem verbis versu 37 dixerat, et longiori narratione persecutus fuerat. Quapropter censeo, versum 69 ponendum esse post v. 36 *), cuius exitus: *quid istuc novi est?* optime cohaeret cum his: *demiror quid sit* etc. Tum ibidem loci recte sequitur: *Equidem scio iam* etc. Sed quo fato idem versus cum praecedente posterius textis insertus fuerit, id scio iuxta cum ignarissimis. Praeterea

---

*) Mecum sentire Acidalium et Gronovium serius sed libenter cognovi.

vero sive negligenter, sive obsoleto dicendi more a quibusdam auctoribus factum sit, verum tamen est, Latinos nonnunquam pro accusativo cum infinitivo post verbum *scio* et similia posuisse *quod;* neque vel Sanctii (Minerva I. p. 713 et seq. ed. Bauer.), vel Gronovii correctionem prius probandam videri, quam eorum sectatores ostenderint, quid faciendum sit illo Plauti versu, Poenul. III. 1, 44.

Scitis rem; narravi vobis, quod vestra opera opus siet *).

ASIN. I. 3, 47.

Caetera quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide.

Quid graeca fide mercari significet, loci huius interpretes bene intelligunt, in ratione autem explicandae sententiae errare nobis videntur. Etsi enim verissimum est, graeca fide mercari hic idem valere, quod repraesentata pecunia mercari; tamen non apparet, quomodo eiusmodi mercatura optima fide fiat, quam quidem graecam dici Turnebus, Gronovius, eorumque adsensores statuunt. Quod enim ille de palliata comoedia dicit, in qua Graecos bene de sua gente et existimare et praedicare conveniat, id vereor, ut magni momenti sit; quandoquidem constat, Plautum in suis fabulis ita saepe variare, ut de Graecis moribus et institutis ex Romani vulgus opinionibus loquatur. Gronovii autem acumen desideramus cum in eo, quod nusquam certiorem fidem esse contendit, quam ubi statim res pro re reddatur; tum vero etiam in citando loco Velleiano, in quo non de fide mercatoria, sed de fide reipublicae constantiaque foederum agi, sagacissimum virum fugere non debebat; et si vel maxime Velleii verbis illis: *in omni re*, movebatur, oportebat eum tamen meminisse, sermonem ibi

*) Ad dirimendam super ea re litem, a magnis utrinque Criticis, quos citatos invenies apud Rudimannum p. 12 et 132. acerrime agitatam, proderit comparasse graecum verbum *εἰδέναι*, quod plerumque cum *ὅτι*, rarissime cum infinitivo coniungitur; quod a Romanis cum verbo *scire* contra factum est.

esse de re multo serioris aetatis, agique de solis Atheniensibus, quorum similia omnium Graecorum fuisse ingenia et erga Romanos voluntatem, nemo rerum peritus facile statuerit. Imo vero constat ex historia, Romanos inter atque Graecos antiquitus iam variis de causis multa intercessisse dissidia et simultates, quae mutuam utriusque gentis fidem minuerent, facerentque ut altera de altera male opinaretur. Quam fidem cum Graeci ne inter se quidem satis servarent (*πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν.* Euripid. Iphig. in Taur. 1205), quid mirum, si Romani graecam fidem in vitium et opprobrium verterent, eamque non meliorem, quam Punicam esse censerent? (Ausonii enim, ut longe serioris poetae sententiae non accedendum puto ep. 10.) Poterat autem Graecorum fides duplici modo reprehendenda videri vel quod datam fallerent, vel nullam omnino haberent. Prior ratio in nostrum locum non cadit. Nam qui homines *mercem dant, si aes habent*, ii non id agunt, ut fidem mutent, sed vitant potius fidei habendae necessitatem. Atque hoc ipsum est, quod Cleaereta de se significat, credere se nihil, nisi quod videat, imitarique pistores, qui non nisi soluta pecunia panem dent, et graeca i. e. nulla fide vendant. In eo autem sita est omnis horum verborum facetia, quod poeta fidem appellat, quae nulla est, et stupido tantum atque ignaro rerum homini aliqua videri potest, similiter atque Calendae illae Graecae, quas omnes, credo, novimus.

ASIN. IV. 1, 51 — 53.

Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam cuiquam savium faciat palam.

Hunc locum Schellerus, omnium aliorum, quam Plauti, felicior interpres, perperam explicuit, qui *alicui savium facere*, idem quod *dare* significare vellet. Nam ut amica Diaboli palam daret alieno amatori savium, certe non opus erat gravedinis simulatione. Neque vero etiam hoc congruit cum istius syngraphi, a parasito conscripti, consilio; quo quidem non id cavebatur, ne

Philenium fidem amico datam aperte falleret, sed ne clandestinis adeo illecebris apud alios sui amoris desiderium excitaret. Huc spectant singulae pacti, cum puella faciendi, leges, atque igitur etiam illa: *forte si tussire occoepsit, ne sic tussiat, ut cuiquam linguam in tussiendo proferat.* Verendum enim erat, ne lingua proferenda alicuius praesentium libidinem accenderet. Igitur os puellae semper clausum esse vult parasitus; quod ne gravedinis praetextu tamen aperiatur, hoc addit consilium: *tu labellum abstergeas potius* etc. Unde apparet, *facere palam*, unam efficere notionem et significare *aperire.* Itaque non vult aperiri puellae os atque proferri linguam abstergendae gravedinis praetextu, re ipsa vero ideo, ut alius quisquam ad osculandum excitetur. Nihili igitur est opinio Douzae, qui *savium* hic idem quod *salivam* significare autumavit*).

CISTELLARIA I. 1, 64—69.

Gym. *Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.*
Si. *Quid faciam?* Gym. *in latebras abscondas pectore penitissimo.*
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris. Si. *at mihi*
Cordolium est. Gym. *quid id? unde est tibi cordolium, commemora, obsecro?*
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
Si. *Si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet.*

Persaepe mihi accidit, ut quam in nostro poeta emendationem de mea coniectura facere aggrediar, eam postmodo ab Acidalio occupatam inveniam. In qua quidem

*) Ceterum errasse videtur Bothius, qui voculam *sic* interpretatus est ita: *Temere, non re vera.* Manifesto enim ea refertur ad praecedentia, vultque parasitus nihil aliud, quam *ne* puella *faciat sic, quasi gravedo profluat.*

inopinata cum viro acerrimi ingenii consensione verae lectionis aliquam significationem reperire mihi non temere videor. Itaque me consentiente Acidalius pro *indidem* legendum censet *ibidem*, quippe quod sententia loci magis confirmetur; illud vero monere oblitus est, vulgaris lectionis vocabulum *indidem* extra numerum moveri, qui in hac prima sede amphimacrum omnino respuit, nostram autem vocem, quae a Plauto in media syllaba corripitur (Pers. IV. 4, 62. Stich. III. 1, 12.), libenter recipit. Multo autem maioris momenti rem, sequentium versuum expurgationem, quorum sententia aeque atque mensura confusa est, ab acutissimo arbitro neglectam fuisse, satis mirari nequeo. Primo enim in nomine *cordolium* magnopere haeremus. Etsi enim poetae nostro, ut audacissimo, ita felicissimo verborum architecto, novorum vocabulorum inventionem lubens concedam, neque vim et significationem istius vocabuli, in Poenulo quoque usurpati, Act. I. 2, 86. non intelligam; tamen ex hoc loco illud, tanquam ex aliena possessione, multis de causis expellendum esse censeo. Male enim Gymnasium, quod ipsa non habeat, id sororem habere non posse, argumentaretur; tum de mulierum cordolio viros dubitasse nusquam legimus, ipsum vero cor, h. e. sapientiam, inesse feminis utique negarunt (Miles Glor. III. 1, 191.). Denique si cordolium retinere malueris, obscura manebit versus 69 sententia. Ipsum enim cordolium non dolet, sed cor, quod dolore afficitur. Quare ex animo probamus operam Bothii huic loco hactenus feliciter navatam, quod non solum cordolium e textu sustulit, sed antecedentem quoque versum ita sanitati restituit, ut extremum eius pedem sequentis versus initium faceret, hoc modo:

S. At mihi cor est. G. qui id? unde est tibi cor,
commemora, obsecro?

Modo reliquisset vestigium eius vocabuli, quod pervulgatae lectioni occasionem dedisse arbitror. Censeo enim Plautum ita scripsisse:

S. At mihi cor dolet. G. quid id? unde est tibi cor?
commemora obsecro.

Ex istis igitur verbis *cor dolet* elucet, qui natum sit *cordolium;* maxime si cogitamus, diligentem Plauti lectorem margini adscripsisse similem illum locum e Poenulo. Postremo inutilis mihi videtur Acidalii correctio, qui pro *si quid est*, scribi iubet, *si quod est*, sc. *cor*. Inde enim oritur nescio quis languor et circuitus orationis. Communis autem scriptura: *Si quid est, quod doleat, dolet*, hunc sensum habet: si quid in me tale est, quod cor dicitur, dolet illud. Ultima autem verba: *tamen hoc hic dolet*, gestu adiuvanda sunt.

C I S T. I. 1, 106. 107.

Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse hic, et servare apud me.

Saepiuscule accidit librariorum festinatione aut incogitantia, ut in describendis auctorum libris vocabula omitterent, quae propter magnam cum proximis similitudinem legentium oculos fallerent. Eam iacturam subolere et probabili coniectura sarcire in pedestri oratione difficilius est, quam in ligato sermone, cuius definita numerorum dimensio attentum criticum saepe manu quasi ad inveniendum id, quod perierat, perducit. Tale ἕρμαιον mihi in hoc versu contigisse laetor. Is enim, ut vulgo scribitur, totius pedis defectu laborat. Quod si vero post vocabulum *solum* interponas *solam*, non modo numeros bene constare videbis, sed orationem quoque Plauti ingenio, agnominationum studiosissimo, accommodatissimam reperies*).

S T I C H U S I. 2, 32—35.

Pa. *Is est ecastor. Ferre advorsum hominem occupemus osculum.*
Pi. *Salve, mi pater.* An. *et vos ambae. Illico agite, abscedite.*

---

*) [In margine alius exemplaris auctor notavit, similiter in Pseudolo II. 3, 12. in codice Lipsiensi excidisse *sola* ob praecedens *consilia*. L.]

Pi. *Osculum.* An. *Sat est osculi mihi vostri.* Pi. *qui, amabo, pater?*
An. *Quia ita meae animae salsura evenit.* Pi. *asside hic, pater.*

Etsi interpretes multum salis in condiendo hoc loco consumserunt, vereor tamen, ut cuiusquam viri, cui cor sapiat, palatum excitaverint. Douza enim et Valla et qui hos sequuntur, translationem ad animum esse dicunt a palato, quod nimio sale offendatur. Sed in eo allucinantur mirifice*). Nam ut ea, quam volunt, metaphora hic locum haberet, oporteret patrem *nimiam* salsuram dixisse; qua quidem ille non offenditur, sed nimiis osculis, quorum sibi satis esse ideo profitetur, quia *ita* salsura eveniat. Causa igitur molestiae, qua pater afficitur, in ipsis nimiis osculis quaerenda est, non in salsura, quae osculorum nescio quem effectum indicaret. Unde manifestum fit, non constare eam, quam Douza fingit, metaphoram, sed dicendam potius fuisse metalepsin, quae ita oriretur, si diceres, salsuram *μετωνυμικῶς* pro sale, salem autem *μεταφορικῶς* pro acerba re poni; cui tamen significationi dicendi usus et rei natura repugnat. Sale enim adeo non offenditur palatum, ut eo potius suscitetur, similiter atque verborum salibus orationis sapor animique ingenium acuitur. Id quod probe intelligens Lambinus indicare patrem hoc existimavit, animam suam propter aetatem esse insulsam, et insuavem, et paene foetidam, osculis vero puellarum salsam et suavem reddi. Cui tamen sententiae nullum hic locum esse tota verborum comprehensio docet. Quamcunque enim vim vocabulo *anima* tribuas, non apparet, cur pater filiarum osculis

*) [Post illa verba „Sed in eo allucinantur mirifice“ auctor addiderat haec: „et arbitrariam, non certam esse illorum interpretationem, facile intellectu est, cum inde, quod salsura simpliciter, non vero nimius salis usus commemoratur; tum quia non declararunt illi, quod necesse erat, quid similitudinis inter oscula et sales intercedat, neque quo sensu dici possit hominis anima osculando saliri.“ Quae verba quum ad reliquam orationis seriem non satis accommodata viderentur, ego hoc loco adscribere, quam meo arbitratu textum conformare malui. L.]

gravetur. Sive enim anima pro mente atque animo posita sit, aeque insulsa esset senis de salsura animi, quae osculando fiat, cogitatio, quam faceta fuit et lepida ista Chrysippi sententia, qua suibus animam ipsam pro sale datam esse statuit; sive anima vitam significet, quae osculis tamquam adsperso sale possit fortasse vegetior ac diuturnior fieri, nulla fuisset causa, cur pater oscula filiarum deprecaretur; sive animam pro halitu oris accipias, gratum esse debebat illud gravis odoris remedium. Atqui offendi patrem sui dissuaviatione manifestum est, sed neutiquam propterea, quod animae suae salsura evenerit, quae res vel omnino nullam, vel salutarem vim in anima senili habuisset. Itaque diu nos et ad nauseam usque de hoc loco solliciti, forte fortuna in veram sententiam incidimus, quae statim in oculos incurret, si scripseris:

Quia ita, meae animae, salsura evenit.

Romanorum enim consuetudo ferebat, ut homines sibi eximie caros *mi anime*, *mea anima*, compellarent. Censemus igitur, *meae animae*, hic eodem modo usurpari, quo apud Ciceronem ad Divers. XIV. 14 et 18., neque irasci patrem, aut succensere suis filiabus aperte, sed, ut leniter eas et perplexe tentet, prae se ferre amorem et benevolentiam. Quare posteaquam blande cum filiae allocutae et exosculatae erant, modum iam osculorum faciendum esse dicit, et Pinarium, id aegre ferentem, blanda et faceta simul oratione exhilarat. Nempe finiendorum osculorum hanc causam affert: quia *ita* h. e. dissuaviando, salsura evenit. Comparat ergo nimiam istam osculationem cum salsamentariorum opera, satis apte et facete. Quemadmodum enim salsamentarii solent obsoniis largum salem infarcire, vastis ponderibus et spissamentis ea comprimere, salsuram manibus diligenter fricare, quatere, detergere, nec in eo opere desinere, donec matura salsura sit; ita se quoque pater ait amplexando, palpando, suaviando macerari paene et excruciari, idque moleste se ferre in praesenti simulat, quod nullum sibi blandiendi modum faciant, et versando comprimendoque (cfr. compressiones arctae amantum

camparum. Pseud. I. 1, 64.) sese ita fere tractent, ut carnes, quae salsamenta fieri oportet. Etsi enim illis ob alias causas succensebat, tamen quia leniter eas potius, quam minaciter tractare decreverat (v. 20.), odio suo praetexebat causam iocosam et ridiculam, utens infirma, quam Rhetores dicunt, ratione, quae minus idoneam, quam res postulat causam subiicit expositionis. Verto igitur tres postremos versus ita:

Pi. *Vater, sey willkommen!* An. *Auch ihr Beyde.* (sie hören nicht auf zu küssen) *Macht und lasst mich los.*
Pi. *Noch ein Kuss.* An. *Ich habe euer Küssen satt.* Pi. *Warum denn dass?*
An. *Weil ihr, lieben Seelen, mich ja pöckelt.* Pi. *Setze dich, Vater, her.*

STICH. I. 3, 72–77.

Nullis meliores esse parasitos sinam.
Vel unctiones Graecas, sudatorias,
Vel alias malacas crapularias,
Cavillationes, assentatiunculas,
Ac periuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.

Acutissime, ut multa alia, vidit Acidalius, confusam esse huius loci orationem, quod logos ridiculos v. 68 venundatos excipiant iam graecae unctiones, post has cavillationes, assentatiunculae et periuratiunculae commemorentur, quas rursus sequantur balnearia instrumenta; denique et hoc ineptum esse, in auctione adhiberi unctiones. Itaque de meliori sententiarum ordine cogitans ille quidem hanc versuum seriem instituit: 75. 76. 77. 73. 74. unde duo fiant auctionis capita, alterum parasiticarum facetiarum, alterum supellectilis balneatoriae, non ipsarum vero unctionum et lavationum. Qua quidem verborum serie etsi singula invicem a se pendeant; nos tamen ideo acquiescere non possumus, quoniam eiusmodi arbitrariam versuum transpositionem et audacem consti-

tuendae sententiae rationem, non nisi in desperatissima lectione adhibendam esse censemus. Tentavimus igitur aliam viam, qua, servato versuum ordine, veram poetae orationem restitui posse putaremus. Petrus enim Valla pro *unctiones* legit *cantiones;* quod vocabulum vide quam bene ceteris conveniat! Ita enim efficitur, ut quos ante venditasset parasitus logos ridiculos, eorum iam formas atque partes exponat: cantiones, assentatiunculas, periuratiunculas. Mutando autem isti vocabulo *cantiones* in *unctiones* ansam praebere potuit non solum strigilis et ampulla, postmodo commemorata, sed, quod multo verisimilius est, adiectum illud *sudatorias*, quo potuerunt alicui in mentem vocari *balnea sudatoria*, instrumentis illis utique aptissima. Quod qui retinuerunt, ii facile sibi de unctionibus crapulariis persuaderi passi sunt, quarum tamen a quoquam auctore fieri aliquam mentionem hactenus non invenimus, quasque tum intelligemus, cum cognoverimus. Cantiones autem sudatorias non eas intelligimus, quae nimia vocis et pulmonum contentione et haud interrupto cantus tenore sudorem excutiunt, quippe quibus parasitorum commendationem auriumque oblectationem inesse vehementer dubitamus; sed eas, quibus parasiti regum suorum aures in balneis sudatoriis titillabant, quo in loco a balneatoribus, quorum munus parasiti saepius obibant (Hesych. *τρίβαλλοι, συκοφάνται. οἱ δὲ τοὺς θωπευτικῶς ἐν τοῖς βαλανείοις διατρίβοντας, καὶ ἐπὶ τὰ δεῖπνα ἑαυτοὺς καλοῦντας.*), lavantes carminibus fuisse exhilaratos, ex Athenaeo I. XIV. p. 619. A. et ex Theophrasto char. IV. discitur*). Quorum quidem carminum argumenta nugatoria fuisse atque iocularia, res ipsa monere videtur. Ab his distinguit poeta *ampullarias* (quam veram esse lectionem libri scripti et impressi veteres docent, cuius interpretamentum putamus illud *crapularias*) h. e. inter vinum ad ampullam cantari solitas; quam praecipuam fuisse olim convivalis laetitiae partem, vel tironibus constare arbitror. Hae vero *malacae* appellantur, hoc est ad voluptatem vel

---

*) Cfr. Seneca Epist. 56. *cui vox sua in balneo placet.*

declarandam vel excitandam idoneae, ideo quod non severi gaudii, sed lasciviae, petulantiae, libidinis, omniumque omnino nequitiarum erant plenissimae. Haec sunt illa Graecorum ᾄσματα παροίνια et κωμοὶ, quibus vinum, amor et omnis generis voluptates, atque adeo compotatorum et comissatorum amicae quoque, saepe praesentes illae, laudibus celebrabantur. Talium autem cantionum peritum, si quem alium, parasitum maxime esse oportuit; cuius farinae homines non alia conditione ad coenam vocabantur, quam ut epularum voluptatem augerent, et multigeneres facerent delicias, in quibus non postremae erant amatoriae cantiones. Hoc igitur nomine noster Gelasimus de meliori se commendat, nec artem solum in balneis et ad scyphos cantandi iactat, sed illas quoque, aeque gratas et acceptas, cavillandi, assentandi et suo loco atque tempore, in gratiam puto patroni, peierandi. Quod vero eam, quam dedimus, loci illius interpretationem probabiliorem reddit, hoc est, quod extrema fabulae pars versatur in repraesentanda compotatione, ubi graeca cantio disertis verbis commemoratur (Act. V. Sc. 4. v. 25.); unde verosimile fit, poetam inventi argumenti eiusque dispositionis memorem, alio quoque in loco in eius rei mentionem incidisse, cuius cogitatione animus ipsius tum maxime occupatus erat.

Reliquum est, ut quaeratur, cur Graecas cantiones parasitus appellet, quas quidem in palliata fabula, qua graeci mores, graecique homines inducuntur, quisque spectator non admonitus exspectat? Nisi igitur poetam aut supinae incogitantiae, aut summae levitatis accusare volumus, oportebit nos investigare causam, qua permotus ille graecas istas cantiones expressis verbis nuncupaverit. Eius rei causam ex eodem manare fonte existimo, unde insignis illa Plauti Romana cum Graecis miscendi consuetudo profecta videtur. Observavimus enim istam poetae inconstantiam ibi maxime habere locum, ubi alterius populi mores atque instituta irridere animum inducit. Tum vero Romana appellat barbara, Graeca autem ea dicit, quae Romano homini in Graecorum moribus displicebant. Iam vero quis ignorat, Romanos

illos veteres, belli et armorum studiosissimos, tetricamque potius atque tristem, quam liberalem et amoenam vitae disciplinam sectantes, peregrinas illas artes, quas Graeci animi solum et ingenii causa exercebant, inutiles, otiosas atque adeo noxias duxisse, iisque aditum ad rempublicam maximo opere interclusisse? Quo quidem contemtu poesis quoque diu affecta est (Cic. Tusc. Qu. 1. 2.), potissimum ludicra illa et iocularis, qua Graeci in conviviis suis nulli carere poterant (v. Ilgen. Carmina Conv. Graec. p. 48. 62 etc.), Romani vero priscae illius severitatis nunquam utebantur. (Quid enim serius factum sit, vel e Cicerone pro Rosc. Amer. §. 134. cognosce.) Nam quod Cicero e Catonis Originibus refert, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem, id non sine probro fieri potuisse ipsius Catonis testimonio confirmatur. Quod etsi non presserim; tamen ex iis, quae Cato subiungit: *de clarorum hominum virtutibus*, dilucide apparet, convivales istos Romanorum cantus severioris fuisse argumenti, neque vero delicatos illos, molles, ioculares atque amatorios, quos Plautus nostro in loco notaturus significanter et disertim graecos appellat. Quod vero ad reliquam huius loci verborum scripturam attinet, non opus est, ut cum Guilielmo antiqua lectio *nullos* mutetur in *nullis*, et cum Acidalio post duplex illud *vel* insertum velis *ad;* qua praepositione supersedere possumus, sive regantur illi accusativi a verbo *vendo* in versu 68., sive ab adiectivo *meliores*, quod valet idem ac graecum illud *ἀγαθός τι* h. e. peritus alicuius rei, aptus et idoneus ad aliquid. Vanamque esse Acidalii emendationem, apparet ex Fragmentis Plautinis a Maio editis, qui quidem versum 74. in Codice Ambrosiano ita scriptum invenit: *Vendo vel alias malacas crapularias.* Denique ad versum 77. respexit Festus in fragmento de Verb. Sign. p. 162. ed. Gothofr. ubi haec leguntur: *Scorteae ampullae vetustate rugosae, et coloris eiusdem, rubidae dici solent.* Quae tamen verba, ut sonant, nullum sensum habent, si vero pro *rugosae* posueris *rubiginosae*, apparebit, quid sibi illud velit additamentum: *et coloris eiusdem.*

STICH. II. 1, 50.

Quas tu vides colubras?

Quam levi saepe momento antiquorum scriptorum interpretes ad declinandum a munitissima veritatis via impellantur, hic locus manifestum affert documentum. Muretus enim interrogari parasitum ratus, quas colubras videret, atque his verbis exprobrari illi insaniam propterea existimans, quod insanorum sit videre serpentibus succinctas Furias et, ut cum Virgilio loquar, implexas crinibus angues Eumenides, in eam adductus opinionem est, ut *videre colubras* putaret esse formulam similem illi: *quae te Larvae, intemperiae, insaniaeque agitant!* Etsi vero negare nequeam, inter visa furiosorum referri quoque serpentum immissorum speciem, tamen nusquam dictum reperi *videre colubras* pro *furere*, eiusque metonymiae exemplum adhuc desidero. Sed si vel maxime largiar, insaniam hominum ita significari posse, nulla tamen hoc loco causa est, cur servus parasitum insaniae insimulet. Aeque enim ineptum est homini curioso et scire cupienti, quid piscator aliquis in sporta ferat, insaniam ac furorem exprobrari, quam iracundum existimari aliquem ea de causa, quod alterum insanire putet. At enim vero error iste, qui rationem interpretum in cernendo vero implicuit, exinde natus est, quod secuti vitiosam librorum scripturam, verba Dinacii interrogando efferri existimarunt, quibus tamen aperte nihil aliud, quam ad propositam interrogationem respondetur, sed ita respondetur, ut ab homine, qui in gravissimo negotio intempestivo alicuius sermone interpellari se molestissime fert. Tollatur igitur signum illud interrogationis, eoque sublato omnis de sententia loci dubitatio evanescit. Importunus enim parasitus, qui tanquam ille garrulus Horatianus (Satyr. I. 9.), intempestivis suis quaestiunculis servum odio enecabat, quum caput ad sportulam adeo inclinasset, ut quid inesset, videret, bilem Dinacio ita movet, ut is sportulam cum piscibus oculis eius oggerat et impingat atrociterque vociferans inclamet: *quas tu vides colubras.* (Quibus in verbis inest nota enallage

casuum, pro *colubrae, quas tu vides.*) Ita enim solemus male curiosos abigere, ut duris verbis utamur, et rem, quam illi resciscere cupiunt, ingrato aut terribili nomine appellemus. Facit igitur piscator hoc cavillandi gratia, nec magis ideo, ut aliquid terroris molesto percunctatori incutiat, quam ut famelico parasito spem coenae, quam quaerebat, praecidat. Hanc enim voluntatem esse Dinacii, ex fine altercationis apparet, ubi cum Gelasimus verum exquirere instituisset, simpliciter respondetur: *hodie non coenabis.*

Verto igitur hunc locum, qui egregium est exemplum Tusci iurgii, (de quo vide parentis mei b. m. programma. Budissae 1763.) ita:

Will gehn und ihn anreden.
Ich grüsse dich. Di. *Ich gleichfalls.*
Gel. *Bist ein Fischer jetzt geworden?*
Di. *Seit wann hast du gehungert?*
Gel. *Woher kommst du? was trägst du? was eilst du?*
Di. *Lass seyn, was dich nichts angeht.*
Gel. *Was ist das?* Di. *Was du siehst! es sind Nattern.*
Gel. *Warum so zornig?* Di. *Wenn du*
Dich schämtest, liess'st du mich ruhig.
Gel. *Werd' ich die Wahrheit hören?*
Di. *Ja, heute wirst du fasten.*

Post meditationem meam super hoc loco inveni, e codice Lipsiensi et Aldina editione abesse signum interrogandi, quo magis verum me vidisse existimo.

XV.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

SEPTIMUM.

EPIDIC. II. 2, 45. 46. et sequ.

Quid istae, quae vesti quotannis nomina inveniunt nova?
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium, etc.

Istam *ἀνακολουθίαν,* quae in his verbis inest, plerique interpretes tacitam praeterierunt, nulli, quantum intelligo, in bono lumine collocaverunt. Nam quae loci sententia sit, inventu facile est, quomodo autem vocabula *quid istae*, quae interrogationem aliquam ordiri manifesto significant, cum reliqua oratione cohaereant, in obscuro latet. Equidem mihi videor hic loci deprehendisse vestigium elegantis illius formulae, qua Plautum eiusque imitatorem Terentium aliquoties usos videmus, ubi indicare voluerunt, insolens aliquid et inopinatum et incredibile fieri. Tunc enim Terentius hanc usurpat formulam: *quid illum censes?* Andr. V. 2. *quid illas censes?* Adelph. IV. 5. Plautus vero: *quid illum putas?* Trin. III. 3, 82. *imo ut eum credis?* Bacchid. II. 2, 30. *imo ut illam censes?* Curc. I. 1, 59. et alibi. Quibus in formulis infinitivus deest, vel ex praecedentis sententiae verbo repetendus, vel cogitatione supplendus, veluti *facere*,

dicere, *sentire*, *affectum esse*. Non igitur dubito, quin noster hic similiter loqui voluerit. Sed cum pro accusativo personae posuerit nominativum, si sana lectio est, oportet suppleri tale quid: *non faciunt*, vel *non audent imperare tributi*. Fieri tamen potuit, ut Plautus scriberet *quid istas*, omisso vocabulo *censes*, ita ut plena esset sententia: *quid istas censes tributi imperare*. Utroque modo iusta et perspicua est verborum comprehensio. Ex usitato enim in hac formula usurpanda more, ille qui attentionis et admirationis excitandae gratia interrogaverat, ipse solet responsionem subiungere, ut hoc in loco: *Tunicam rallam* etc. Quodsi vero aliquis istam accusativorum congeriem positam esse velit in appositione cum praecedenti vocabulo *nomina*, is debebit statuere, responsionem sequi demum versu 51, poetamque longae interpositionis culpa oblitum coeptae verborum structurae pro *his vocabulis* scripsisse *haec vocabula*. Ut vero nos uno labore duas aerumnas absolvamus, in medium afferamus vernaculam eorum versuum, quibus mundus ille muliebris describitur, interpretationem:

Ist's zu glauben, was für neue Namen alle Jahre sie
Ausersinnen? Kleid von Petinet, Cannefas, ausgeschnitten Tuch,
Negligeekleid und Bordure, paille oder orange Kleid,
Unterröckchen, Unterschleppchen, Schleyer, fremde und Galla Tracht,
Schillerfarbig und gemustert, wachs- und honniggelb. Dummzeug!
Selbst vom Schaafe wird ein Nam' entlehnt. Ep. *Der ist?* Per. *Merinokleid.*
Solche Wörter stürzen ihre Männer völlig in Ruin.

EPID. III. 1, 12.

Str. *Vae tibi muricide homo!* Ch. *qui tibi lubet mihi male loqui?*

Interpretes saepissime prae nimio altercandi studio non solum meliora aliorum inventa superbe reiicere, sed etiam deteriora eorum loco reponere, in vulgus

notum est. Id hoc in loco Salmasio accidit, qui pro vocabulo *muricide*, quod a Scaligero haud inepte cum graeco μυοκτόνος comparatum fuerat, legendum esse censet *murcide*, tam praepostero iudicio, ut mirari docti viri incogitantiam non satis possimus. Ut enim taceam retenta veteri lectione trochaici versus numeros multo facilius decurrere nobis videri, id nos maxime male habet, quod ita senescentis latinitatis vocabulum antiquissimo obtruditur scriptori. Nam si Salmasius hac sola re offendebatur, quod a latinis auctoribus *muricidus* non magis dicatur, quam *parricidus*, nihil eum prohibebat, quominus refictum a se ad latinae linguae analogiam vocabulum *muricida* reciperet. Sed longe difficilius dictu videtur, quid hoc vocabulo, a poeta, si genuinum est, semel tantum usurpato, a graecis autem nusquam μεταφορικῶς accepto, significetur. Reperiuntur quidem nonnulli, qui auctorem Festum, si veram exhibuit Plauti scripturam, secuti, muricidam hic intelligunt ignavum, stultum et inertem hominem; sed an satis recte et subtiliter, id vehementer dubito. Etsi enim non negaverim, posse hominem, qui lingua fortis, manu et opera imbecillus sit, ubi de rebus in bello strenue gerendis sermo est, muricidam potius quam homicidam appellari; tamen quomodo illud nomen in hominem cadat, qui nullam prae se tulit fortitudinem, sed non esse in se minimum auxilii aperte fassus est, id non persentisco. Existimarem potius significari isto maledicto praestigiatorem, quales apud Persas Magi habebantur, de quibus Plutarchus (de invid. et odio, tom. VIII. p. 125. ed. Reisk.) haec refert: *οἱ Περσῶν μάγοι τοὺς μῦς ἀπεκτίννυσαν, ὡς τοῦ θεοῦ δυσχεραίνοντος τὸ ζῶον*, nisi merito dubitari possit, an Plautus iocandi materiam e tam obscuro et remoto fonte derivaverit. Verum enimvero quid cogit nos *muricidam* interpretari *murium percussorem*, cum idem vocabulum *murorum perfossorem*, τοιχωρύχον significare possit? quo quidem maledicto, a poeta et alibi usurpato (in Pseudol. IV. 2, 23. *ut vestitus est perfossor parietum!*), non verum solum, sed etiam aptum probrum Chaeribulo obiectatur. Nam qui in se nullam esse amico copiam dicit,

verum aliquid alicunde ab aliquo explorate promittit, is fieri potest, ut cogitet de expilandis aliis, ita ut eorum vel marsupia exenteret, vel parietes perfodiat; cuius farinae homines Graeci appellant *βαλαντιοτόμους* et *τοιχωρύχους*. Quorum quidem vocabulorum similia cum Plautus in sermone vernaculo non reperiret, licentia poetarum abusus cudit duos quasi nummos plumbeos, nempe vocabulum *muricida* et quod mox sequitur III. 2, 13. *parenticida*. In quo posteriori, si vera lectio est, Plauti ingenium lusit luxuriosius. Quodsi tamen sint, qui de veritate vocabuli *muricida* dubitent, iis ex coniectura mea offero vocem *morticine* Hoc enim convicium, quo Plautus in Persa II. 4, 12. utitur, in eos cadit homines, qui quasi mortua cadavera, non pallidi, (haec enim vocabuli vis certo caret argumento) sed inutiles plane et nulli rei sunt.

E P I D. III. 4, 25. 26.

— — — — Pe. *non edepol scio.*
Molestum non est, nisi dicis, quid velis.

Ut in plerisque orationis Plautinae explicationibus Gronovius et ingenii sui sagacitatem et doctrinae subtilitatem egregie probavit, ita in numeris ad artis leges refingendis negligentius versatus est. Utriusque rei documenta hic locus affert. Acute enim hoc intellexit Gronovius, illorum verborum hanc esse debere sententiam: haud possum tibi dicere molestumne sit futurum an non, nisi prius loquentem audivero. Sed cum ita extremum versum constituit: *Molestumne sit, nisi dicis, quid velis,* summam metri incuriam prae se tulit, eo magis mirandam, quo facilior huius loci medela est, si ad hunc modum scripsisse poeta existimetur:

Molestum an non est, nisi si dicis, quid velis).*

In illo enim indicativo *est* nemo offendet, qui hunc antiquum dicendi usum e Plauto didicerit. Post

---

*) In qua lectione mihi convenire cum Bothio serius animadverti.

nisi vero saepe excidisse alterum *si* innumeris exemplis doceri potest. Sed hac occasione de eadem fidelia alterum dealbemus parietem. Alium enim versum, quem Gronovius, dum a soloecismo liberare vellet, claudicantem fecit, defendendum esse arbitramur. Quis enim, qui in illo versu Mercat. IV. 3, 34. *Si quid tibi evenit, id non est culpa mea*, haeserit in vocabulo *id*, non amplectendam censeat Gronovii correctionem, scribentis *at non est culpa mea?* praesertim cum inspexerit exemplorum multitudinem, quibus ille elegantem istum particulae *at* usum auctoritate Livii confirmare studuit. XXIV. 37. Sed perdidit vir doctissimus operam. Quotquot enim exempla ibi attulit, ea non nisi hoc demonstrant, enunciationi a particula *si* incipienti solere subiungi aliam cum vocabulo *at*, quando posterior enunciatio priorem tamquam adversam causam et rationem sequitur, veluti in illo: *Si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices confugiam. IX.* 1. Talis autem sententiarum cohaerentia in Plautino loco non est. Quod si Gronovius reputasset, praetereaque animadvertisset, vocabulum culpa necessario spondaeum esse, haud dubie intactum reliquisset hunc locum, in quo, *id non est culpa mea*, idem valet, quod, *id non contigit culpa mea*, ut Cic. Orat. II. 4. *Esse* enim pro *fieri*, *contingere*, *evenire* usurpari tralaticium est.

E P I D. III. 4, 87. 88.

Is etiam sese sapere memorat; malleum
*Sapientiorem * * * manubrio.*

Manifestam in altero versu lacunam explere quidem studuerunt Lambinus, et Salmasius, sed uterque ita, ut sententiam dicentis perverterent. Neutiquam enim ludificatus senex sodalis sui stultitiam exagitare vult, sed propriam stoliditatem excusare apud sese, et consolari argumentatione a maiori ad minus facta. Quod cum Gronovii acumen fugeret, factum est, ut is quoque incommodam hanc proferret explicationem: *Is etiam sese sapere memorat, quod est perinde, quasi dicas Malleum sapientiorem manubrio.* Nam qui se quoque sapere

profitetur, is non ideo se sapientiorem alio praedicat. Emergit potius e tota verborum serie, Periphanem, a servo suo pessime delusum, id agere, ut aegrimoniam, ex ingenii sui tarditate conceptam, recordatione amici sui, qui plus se sapiendo tamen fraudem illam cavere non potuerit, aliqua ex parte leniat et ex animo expellat. Oportet igitur proverbiali illi locutioni: *malleum sapientiorem manubrio*, inesse significationem rerum non paris dignitatis, sed diversi pretii, unde appareat, id multo minus a causa minore esse exspectandum, quod a maiore effectum non fuerit. Iam vero etsi ipsum manubrium malleo non sapientius est, praestat tamen in eo, quod commodum aptumque manubrium ad vim regimenque mallei magnum facit momentum. Itaque quum Periphani in mentem venisset, se ad rem difficilem expediendam usum fuisse ope et consilio viri, qui legum et iurium bene gnarus (II. 2, 107.) ad id videretur utilissimus; non mirum esse arbitratur, si illo decepto, se quoque falli passus sit. Quae vis proverbii ut clarius elucescat, censeo interrogandi signum in fine esse ponendum, totum autem versum a poeta ita compositum fuisse arbitror:

— — — — — *malleum*
Sapientiorem esse manus manubrio?

Hinc facile intelligitur, quodnam usurpandi huius proverbii consilium et quaenam omittendorum verborum, quae supplenda censemus, causa fuerit. Vocabula enim sibi similia, cum proxime se exciperent, festinantibus librariis saepe lacunarum occasionem dederunt; cuius negligentiae memores critici opportune talia loca integritati restituerunt. Quod nuper etiam sagacissimo Hermanno contigit in loco Mostellariae I. 2, 33. quem ita haud dubie sanavit: *Usque dum mantant, neque id dum ut faciant faciunt, donicum* etc. Quod denique ad hiatum in secunda thesi attinet, excusatur ille caesura, qua incidente Plautus id saepius sibi sumsit, ut elisionem negligeret, veluti in Poenul. prol. 88. Stich. I. 1, 113. et alibi *).

---

*) Etsi nostram de hoc loco coniecturam inanem fecit Codex

RUD. II. 5, 4. 5.

Ut sine labore hanc extraxi! praefiscine,
Satis nequam sum: utpote qui hodie inceperim
Amare.

Gruterus primus fuit, qui videret, quomodo haec verba distinguenda et explicanda essent. Pertinet enim illud *praefiscine* non ad praecedentem, sed ad sequentem enunciationem *satis nequam sum*; qua cum sibi ipse maledicit servus, scurriliter sane et praeter exspectationem facit, quod solemnem istam vocem praemittit, qua impensae laudis fascinum a se amoveri vulgus existimabat. Quaenam vero illius vocabuli propria vis et significatio sit, nusquam accurate expositum invenimus. Nec veteres Grammatici obscurae rei lucem accendunt. Charisius enim, qui praepositionem *prae* nonnunquam pro eo, quod est *sine*, accipi scribit, cum rem nullis exemplis confirmaverit, fecisse intelligendo videtur, ut nihil intelligeret. Itaque fas sit nostram in medium proferre sententiam. Existimamus autem *praefiscine* ortum esse ex obsoleto aliquo nomine *praefascinum*, quod graeco respondebat *προβασκάνιον*, et indicabat rem quamlibet, qua quis *πρὸ τοῦ βασκάνου* ante fascinum, ad occurrendum fascino, utitur. Cuius generis res; veluti *δακτύλιον φαρμακίτην* et alia amuleta, cum veteres non semper secum et in promtu haberent, satis se tutos et munitos putare poterant, si dicerent, velle se aliquid dictum *praefascino* h. e. quasi adhibito praefascino. Iam cum ablativis nominum saepissime modus rerum indicetur, facile fieri potuit, ut nomen illud adverbii speciem

---

Ambrosianus palimpsestus, in quo haec sunt a Maio reperta: *malleum sapientiorem vidi excusso manubrio*, tamen nolui olim a me scripta opprimere, ut artis criticae studiosi meo quoque exemplo discerent coniecturis etiam verosimilibus diffidere, nec nimium operae in re consumere, quae saepissime ingrati et irriti laboris affert aegritudinem. Ceterum quod ad sententiam recuperatae verae lectionis attinet, videtur illud fuisse proverbium, in eos dictum, qui post malum ex stulte factis acceptum sero saperent.

acciperet et pro praefascino diceretur praefiscine s. praefiscini *).

RUD. III. 4, 3—5.

Daem. *Optume.* Lo. *istuc volueramus, iube modo accedat prope.*
Daem. *Tunc legirupionem hic nobiscum dis facere postulas.*

Veram huius loci scripturam sine dubio se assecutum esse gloriatur Acidalius, sed frustra, quippe qui praeter violentam versus quarti transpositionem, in eo manifesto erravit, quod versum tertium ita scripsit: *Optime, istuc volueram, iube modo accedat prope.* Quod enim vocabulo *iube* mensuram pedis iambici tribuit, adversus constantem Plauti consuetudinem fecit, qui hunc imperativum ubique pyrrichium esse voluit (exempla multa vide apud Wasium p. 216.). Hoc autem facto coactus est contra omnium librorum et codicum auctoritatem pro *istuc volueramus* ponere *istuc volueram*, eaque verba Daemoni adscribere. Quod postremum etsi commodissime fit, incommodum tamen est sequentia *iube modo accedat prope* ab eodem sene dici. Iubere enim non servorum, sed dominorum res est; quare non meminimus loci, in quo herus serio a servo suo postulet, ut aliquid iubeat. Et si hoc vel maxime in servum caderet, tamen non apparet, cur dominus hic loci id quod in sua potestate erat, per servum vellet fieri. Recte igitur iam in antiquissimis editionibus ista verba *iube-prope* Trachalionis sunt, quas quidem Reizius bene secutus est. Neque tamen idem scientissimus Plautinarum dictionum restitutor totum hunc locum ita expolivit, ut nihil, in quo offendi posset, relinqueretur. Primo enim dubitamus, an illa verba *istuc volueramus* lorariis conveniant, quorum, utpote servorum, in re ab heri consilio pendente nihilque omnino ad eos attinente, nulla erat voluntas. Hero

---

*) Fascinorum rationes praeclare exposuit illustris Böttigerus in nobilissimo Clar. Eberti libro, cui titulus est: Ueberlieferungen. 1. B. 2. H.

autem accommodatissima est oratio, qui, cum Trachalionem ei rei, quam iussurus erat, *vos in aram abite sessum*, iam praevertisse videt, voce factum approbante exclamat: *optime, istuc volueramus* sc. illos secedere. In plurativo enim numero non esse idoneam causam, cur illa verba lorariis assignentur, ideo existimo, quod notae illius numeri synecdochae, Ciceronis demum tempore pervulgatae, in antiquioribus scriptoribus atque etiam in nostro, quamquam rariora, reperiuntur utique vestigia. Deinde vero etiam perire mihi videtur magna orationis facetia, si verba illa: *pugnum in os impinge*, Daemoni tribuantur, qui, ut nulla in praesenti lenonis contumelia ad irascendum provocatur, ita ab errore, quo putat, velle Trachalionem cum lenone sacrificare, utique revocandus est; quod fit, si Trachalio dicat: *pugnum in os impingam.* Ob quam iniquitatem, a servi protervia profectam, leno cum Daemone, tanquam eius rei auctore, expostulat: *Iniqua haec patior* etc. Itaque textum ita constituendum esse arbitror:

Daem. *Optime, istuc volueramus.* Tr. *Iube modo accedat prope.*
Daem. *Tun' legirupionem hic nobiscum dis facere postulas?*
Tr. *Pugnum in os impingam.*

Ceteroquin negare non possumus, displicere nobis poetae negligentiam in numeris quarti versus adornandis. Etsi enim id reprehendere nolimus, quod incisionem in medio vocabulo *nobiscum* fecit, quam rem, in compositis saepius factam, quilibet non nimium morosus facile ferat; tamen hoc loco ineptam iudicamus istam caesuram propterea, quod pausa in fine quarti pedis sententiam ita immutat, ut senex dixisse videatur: postulas legirupionem una cum diis facere nobis.

RUD. IV. 4, 99.

Hoc habet: solutum est: ah, perii! video cistellam.

Elegantium vocabulorum locutionumque aucupes raras aut solemnes dicendi formulas tanto in honore fere

habere solent, ut eorum vestigia ubivis locorum odorentur, neque dubitent scripturae veritati sententiaeque perspicuitati apertam vim facere, modo id consequantur, ut orationem aliquo lumine scilicet distinguant. Hoc accidit Acidalio, qui censuit, Gripum exclamare illud *hoc habet* tralaticio more exsultantium, suaeque sententiae Pareum nactus est subscriptorem, qui in Plautino Lexico hanc vocem exsultantis esse dicit. Iam vero, nisi me omnia fallunt, meminerunt isti duumviri illius dicendi moris, qui, e certaminibus gladiatoriis in vulgi consuetudinem traductus, ab iis hominibus usurpari coeptus est, qui adversarium a se vel ab alio recte et feliciter petitum victumque viderent; quo quidem significatu apte usurpatur in Mostel. III. 2, 26. Sed quo sensu nostro in loco Gripus aut herum suum, aut nescio quam aliam personam *hoc* (quasi vulnus) *habere* dicat, quaeve ironia secundum Facciolatum hic lateat, scire me iuxta cum ignarissimis fateor. Censeo autem germanam lectionem levissima emendatione posse restitui, si scribatur: *hoc habe**). Est enim hic locus ex iis, quorum intelligentia multum adiuvatur cogitatione earum rerum, quae non dicuntur, sed fiunt. Iussus enim servus ab hero vidulum solvere, aliquamdiu occupatur in revellendis et expediendis viduli vinculis, et re tacite peracta, porrigit tandem hero vidulum his ea in re usitatissimis verbis: *hoc habe*, *solutum est.* Iam novum fit silentium hero viduli fartum perscrutante. Sed simulac ille cistellam caudeam extrahere incipit, servus rei gerendae maxime intentus exclamat: *ah, perii! video cistellam.* Herus autem protractam eam ostendens Palaestrae interrogat: *Haeccine est?* Sic meo quidem animo ita procedit omnis oratio, ut naturae consentaneum est. Nec est, quod quis in neutro vocabulorum genere *hoc* et *solutum* offendat; piget enim id commemorare, quod tironibus de usu huius generis in rebus, quas nominare vel nolumus vel non possumus, satis constat. Proinde meras nugas agunt, qui huius loci auctoritate freti contendunt, vidulum posse etiam neutro genere usurpari,

*) Idem in Londina editione postea inveni.

aeque atque illi, qui cum Acidalio *solutu'st* i. e. *solutus est* legere malunt; dicitur enim *solutum est* absque respectu ullius nominis, ita ut supra v. 27: qui *tuum* potius est, quam *meum?* Denique non necesse est, ut interiectionem *ah* cum Reizio post *perii* ponas; quandoquidem constat, poetas pariter atque histriones eiusmodi *ἐκφωνήματα* ita saepe versibus inseruisse, ut extra numerorum ordinem stare videantur.

TRUCUL. II. 2, 6—9.

Id volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi.
As. *comprime.*
St. *Spero meam quidem hercle: tu quae solita es comprimas.*
Imprudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum!
As. *Iram dixi.* St. *ut esse coepisti, si dem, si est una altera.*

Etsi comicis poetis familiare est risus gratia *διττολογεῖν*, prudenter tamen cavere solent, ne ipsi ambiguitatis verborum suorum interpretes sint, quam rem spectatorum acumini sensuique merito relinquunt. Itaque nihil fieri potuisset insulsius, quam si versum octavum Plautus Stratilaci in os dedisset, praesertim cum obscoena illa verbi comprimere significatio pervulgata esset. Accedit, quod eius versus, qui ne iustos quidem habet numeros, interpositione vivida et naturalis orationis progressio male interrumpitur, quippe cum Astaphium, pudicam ancillam, non exspectare decebat, donec ille propudiosus homo deridendos propinaret ipsius sive mores sive ingenium, sed statim eius compescere oportebat lasciviam his verbis: *iram dixi.* His rationibus inducor, ut integra versus octavi verba male seduli interpretis esse existimem. Cuius generis interpretamenta passim in Plauto inveniuntur; quale illud est, quod praestantissimus Hermannus nuper in Menaechm. IV. 2. v. 17 et 18. reperit, unde, nobis libenter assentientibus, eiicienda censet illa verba: *quippe qui pro illis loquantur male quae fecerint.* Hoc enim nihil moramur, quod versus ille, de quo agimus,

paene iusti trochaei mensuram habeat, probe scientes, in sermone familiari imprudentibus saepe integros versus excidere, trochaicos potissimum, qui numerus solutae orationi simillimus et usitatissimus est. Deinde haereo in versu septimo, de cuius extremis verbis neque Lipsio assentire possum, nimis audacter corrigenti: *te qui solitu'st comprimat;* neque adeo Grutero, qui leviori quidem emendatione vocabulum *quae* in *quem* mutavit, neutiquam vero mihi persuasit, comprimere etiam de mulieribus dici; id quod huc loci eo minus quadraret, cum ancilla non dixerit, quid factura ipsa sit, sed quid fieri velit. Ac mihi quidem videntur ista verba tribuenda Astaphio, iratae ob illam Stratilacis proterviam, eamque ita compescenti, ut dicat: *tu quae solitu's comprimas, iram dixi,* h. e. quaecunque ea sint, quae tu soleas comprimere (neutro enim genere utitur pudoris gratia), ego certe nihil aliud intellexi, nisi iram. In nono denique versu, quem Gronovius, nulla metri ratione habita, et nimis violenter correxit, nihil mutandum censeo, praeterquam *si dem*, aut ut alii libri habent *fidem*, pro quo reponendum existimo *fidam*. Unde hanc commodam oriri sententiam nemini non apparebit: fidam orationi tuae, qua te non stuprum intellexisse ais, si praeter te una saltem inveniatur mulier, quae se tam modestam et pudicam praebeat, ut tu esse coepisti. Quibus quidem verbis bene respondet Astaphii sententia: nimis hic quidem truculentus. Nisi igitur fallor, totus iste locus ita erit scribendus et distinguendus:

Id volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi?
Ast. *Comprime.* St. *Spero meam quidem hercle.* Ast. *Tu quae solitu's comprimas.*
Iram dixi. St. *Ut esse coepisti, fidam, si est una altera.*

XVI.

P L A U T I N O R U M

C U P E D I O R U M F E R C U L U M

OCTAVUM.

PERSA II. 3, 1—4.

Iovi opulento, inclito, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem afferam.

Cum multum atque diu in expediendo horum versuum metro desudanti mihi, superesset tamen, quod desiderarem, opportune in mentem venit illius proverbii: *ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.* Adii igitur Hermannum nostrum, acerrimum metrorum inquisitorem, ut quod aptissimum videretur, in medium consuleret. Factum est, quod praevideram. Tam allaudabilem enim et sapientem dedit ei rei operam, ut luxatis et male affectis membris integram restituerit valetudinem. Redegit autem versus illos in hunc ordinem:

Ióvi opulento, ínclito,	*Creticus.*
Ope gnáto, suprémo, validó, viripoténti Opés, spes, bonás, copiás commodánti Lubéns vitulórque meritó, quia meo amíco	*Bacchiaci.*
Amíciter (di) hanc cómmoditatis cópiam	*Iamb. trim.*
Danúnt argenti mútui, utí (ego) egenti opém afferam.	*Iamb. tetram.*

Hoc igitur privatum munus quum publici iuris faciendum existimaremus, non solum voluimus inservire communibus eruditorum commodis, sed clarissimo etiam probare exemplo, ut quisque Grammaticus in sua arte maxime regnet, ita eum agere proxime morem optimorum medicorum, qui non urendo et secando aegrotos potius mutilant, quam curant; sed levi saepe et tenui medicina desperatos quoque ad integram valetudinem reducunt. Nam adeo certum est auxilium, quod Hermannus duobus versibus Plautinis parvulorum istorum vocabulorum *di* et *ego* interpositione adtulit, ut ab ipso poeta, si viveret, cumulatam iniret gratiam. Quamquam vero de metro non amplius sumus solliciti, tamen detinet nos in hoc loco alia cura, ab incerta duorum verborum etymologia allata. Ac primo quidem dubia est origo vocabuli *viripotens*, cuius significationem non eam esse posse, quam habet, ubi de mulieribus usurpatur, in promtu est. Quo minus vero Grammaticis *ἅπαξ λεγόμενον* ita explicantibus, ut idem sit ac *viribus potens*, assentiar, non tam synonymia praecedentis vocabuli impedior, pleonasmorum Plautinorum probe gnarus, quam rationibus a versibus Bacchiacis repetitis; quos cum sciamus constare proprie ordinibus simplicibus, non periodicis, praetereaque raro in secundo pede dipodiarum admittere anacrusin duorum temporum, consentaneum putamus ingenio et naturae versus Bacchiaci bene compositi, dipodiam istam ita potius dividi *valido viri — potenti*, quam *valido vi — ripotenti.* Quod postremum necessario tamen faciendum erit, si primam compositi vocabuli partem a viribus derivandam censueris. Nobis igitur *viripotens* idem est, quod *virorum potens*, *ἀνδροδάμας*, *λαομέδων*, *ἀνθρώπων κρατῶν*, quippe factum ad similitudinem vocabulorum *coelipotens*, *astripotens*, *omnipotens*, h. e. qui habet potestatem et imperium istarum rerum, coeli, astrorum, omnium; non vero ad exemplum illorum *armipotens*, *sagittipotens*, *pennipotens*, quae significant eos, qui valent et fortes sunt armis, sagittis, pennis. Aliud enim est, potentem esse alicuius rei, aliud, aliqua re. Quod discrimen in compositis vocabulis

non emergit, neque etiam a Grammaticis satis animadversum est. Sed haud paulo obscurior est verbi *vitulari* originatio, in qua definienda quantopere inter vetustissimos philologos discrepuerit, vel e Macrobio Saturn. III. 2. videre licet. Duplex vero est eorum sententia. Alii enim a *vita*, alii a *vitulo* derivant. Iam qui priorem sequuntur rationem, ii a *vita* faciunt ὑποκοριστικὸν *vitula*, non usitatum quidem vocabulum, sed ad analogiam linguae, ut horula, mensula recte formatum; praetereaque nituntur primae syllabae prosodia, quam longam esse Naevii Enniique auctoritate demonstratum eunt. Utroque vero argumento nihil persuadent, quandoquidem alterum veritate, alterum necessitate caret. Constat enim innumeras vocabulorum formas, quae e nominum et verborum voluntaria declinatione, foecundissima novarum formarum stirpe, gigni poterant, non unquam fuisse procreatas, et voce humana usurpatas, aeque atque illud, quod derivata vocabula non semper soleant sequi quantitatem primigeniorum. Itaque fieri utique potuit, ut *vitulor* mutata quantitate eodem modo a *vitulo* deduceretur, quo *macero* a *macer*. Accedit, quod de longitudine prioris syllabae in verbo *vitulor* adhuc dubitari et uterque veterum poetarum locus, ubi vitulus cretici pedis mensuram habet, non repugnante Vossio (Etymol. p. 651.) corruptus esse potest. Nihil enim impedit, quominus Naevii versus ita scribamus:

Ut in venatu vitulantes ex suis locis
Nos mittant Poenis decoratos feris — —

Ennianum autem versum ita:

Habet is coronam vitulans e victoria.

Quae coniectura mea etiamsi videatur everti Hermanni iudicio, quo ille verba Plautina *lubens meritoque vitulor* ita transponenda putavit, ut Bacchiaci pedes fierent *lubens vitulorque merito:* quod eo confidentius facere potuit, quum libri manu scripti, et Saraceni editio eundem servarent ordinem; tamen, quoniam Plautini numeri adeo sunt mutabiles, ut haud aegre in alias formas flecti queant, recte dubitari potest, annon tria ista verba: *lubens vitulorque merito* clausulam efficiant Iambicam,

Bacchiacos numeros saepissime finientem. Qui quidem Iambicus numerus hic loci ita se commodum praebet, ut difficile sit, utro usum poetam dicas, invenire. Tum qui sequuntur duo versus pro trochaicis tetrametris catalecticis haberi poterunt:

Quía meo amico amíciter hancce cómmoditatis cópiam
Dí danunt argénti mutuí, uti egenti opém afferam.

Sed de his quisque, ut velit, sentiat. Prosodia certe non prohibet, quin *vitulari* cum Festo et Varrone a *vitulo* derivemus; significatio autem id fieri cogit. Nam si a *vita* deducitur, et vitam vitalem, omnibus lubentiis affluentem, significat, nescio quomodo aliquis dici possit *Iovi vitulari*. Sed si a *vitulo* proficiscitur, tum idem est, ac *facere vitulo*. Ex qua prima significatione vide, quam ultro et commode reliquae notiones per metonymiam oriantur. Ita enim apparet, cur Plautus *vitulari* usurpaverit pro *gratulari*, et Grammatici veteres alii aliter interpretentur: Titius quidem et Varro per *παιανίζειν*, cui illud Menandri *μοσχιᾷν* apud Suidam respondet, Festus autem et Nonius per *laetari;* cur denique Hyllus *Vitulam* laetitiae deam, Piso autem, nisi forte apud Macrobium *vitulatio* legendum est, victoriam nominari dixerit. Sed sublatis ancoris navigii nostri cursus alio dirigendum est, utinam secundis ventis.

III. 3, 37. 38.

Mirum, quin citius iam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.

Insignis ingenii acrimonia hic loci defecit Acidalium. Quam enim bene noverat familiarem Plauto formulam *mirum quin*, eam hoc alieno loco tueri frustra studuit. In quo negotio plus semel errasse nobis videtur. Nam quod vocabula ista *mirum quin* a reliquis puncto separavit, id fecit refragantibus omnibus huius formulae exemplis, quorum nullum adhuc invenimus, in quo non integra reperiretur verborum sententia. Sed multo magis lapsus est in iudicanda, quam statuit, ellipsi. Cuius quidem explendae altera ratio, ab ipso proposita, *mirum, quin tibi in manum concredam*, manifestis repugnat

Dordali verbis, qui pecuniam, a Toxilo iam acceptam, non huic, sed mensario, qui spectaret, concredere dubitat: altera vero, qua repetendum sit ex praecedentibus *metuam*, omnem tollit ironiae vim, huic formulae ita propriam, ut semper contrarium eius, quod dicitur, intelligendum sit. Quo fieret, ut Dordalus negaret, se metu sollicitari, quod tamen contra vult. Uti enim versu 28. *mirum, quin tibi crederem*, idem valet, quod: *non est mirum, quod tibi non credo;* sic *mirum*, *quin metuam* significaret *non mirum est*, *quod non metuo*, neutiquam vero, ut Acidalio visum est, *omnino metuo.* Nobis igitur persuasum est, Plautum scripsisse: *mirum? quum* etc. eoque modo per ironiam indicasse causam, cur Dordalus argentariis in manus dare pecuniam gravaretur.

IV. 4, 54 — 63.

Hic locus, a verbis *Hospes*, *volo ego*, usque ad *Exquire. heus tu*, *advigila* pertinens, ob colloquentium personarum variam actionem et celerem orationis cursum, lectorem non satis attentum utique perturbare potest, neque tamen, ut Acidalius existimavit, intricatam et plane non explicabilem habet sententiam. Quam quidem acutus ille Grammaticus, dum personis aliter ordinandis illustrare conatus est, crassioribus tenebris obscuravit. Praeterquam enim quod verbum illud *exquire* ad Toxili sermonem pertinere recte iudicavit, caetera omnia nec bene disposuit, nec accommodate ad personarum ingenia et vices explicuit. Quum singulas eius opiniones refellere longum sit, liceat nobis versus illos ad eum, quo Gronovius personas discriminavit, modum in vernaculam linguam transferre, quo clarius appareat, quam plana et expedita via decurrat totum colloquium.

Dord. Freund, *ich möchte die da fragen. Sa. durch*
alle Register, *was du willst.*
Tox. Lass hieher zu mir sie treten. Sa. (zum Mädchen)
Geh, *und sey zu Willen ihm.*
(zum Dordalus) *Forsche*, *frage nach Belieben. Tox.*
(zum Dordalus) *Mache*, *geh voran*, *sieh zu*,

Dass du gehst mit guter Bedeutung. Dord. Gut ist sie. Tox. So schweig doch still.
Tritt dorthin, ich bringe sie gleich. Dord. Thu', was du für mich das Beste hältst.
Tox. (zum Mädchen) *Komme mit mir.* (zum Dordalus) *Da bring' ich diese, wenn du sie etwas fragen willst.*
(Toxilus geht zurück) *Dord. Bleibe doch du. Tox. Ich kann dem Gastfreund meine Dienste nicht entziehn,*
Wie's der Herr befahl. Wenn der's (auf den Sagaristio zeigend) *nicht haben will? Sa. Nein, immer geh!*
Tox. (zurückkehrend zum Dordalus) *Steh zu deinen Diensten. Dord. Auch zu deinen, du dem Freund du hilfst.*
Tox. Frage sie. (zum Mädchen) *Heh! gieb Acht.*

In re tam manifesta vix fieri potuisset, ut perspicax Acidalius coecutiret, nisi in eum impegisset scopulum, in quo interpretes saepe haerere vidimus. Locorum dico accuratam designationem, quos histriones in ipsa scena aut constanter occupant, aut rebus gerendis convenienter permutant. Nostra igitur in scena personarum haec facienda est dispositio. Toxilus et Dordalus primo ad absentis domini aedes consistunt, ut e regione advenientis subornati hospitis sermonem cum peregrina puella clam sublegant: mox vero serendi cum Sagaristione colloquii gratia uterque ad eum accedunt, nec procul inde recedunt, dum ea, quae a. v. 42—48 seorsim agunt, pressis labris quasi ad aures insusurrant. Iam v. 49. Toxilus clara voce compellat Sagaristionem, a quo tamen sequentium quatuor versuum sermo rursus segregatus est. Mox Dordalus v. 54. hospitem appellat et ab eodem, post impetratam percontandae virginis veniam, Toxilus fraudulentum agens proxenetam, postulat, ut virginem *ad se* h. e. ad aedes domini sui, quas monstrat digito, *huc*, accedere h. e. abscedere iubeat; videlicet, ut amicus remotis arbitris eam libere percontari possit. Convertit igitur Sagaristio orationem ad virginem pone stantem, mox vero ad lenonem; quem quidem Toxilus ad monstratum locum praeire, sed auspicato, iubet, religionem scilicet quasi mantellum sycophantiis suis iniiciens. Tum ista versus

59 verba, *sequere me*, dicit virgini, reliqua Dordalo, post quae statim ad hospitem redire insistit. Quare ei abeunti leno succlamat: *Enim volo te adesse.* Sed frustra. Respondet enim ille, se hospiti esse obnoxium; a quo tamen dimissus suam operam lenoni pollicetur. Hanc vero operam non fore gratuitam leno sententiose et bona fide dicit, sed ita, ut spectatoribus ridendi materiam det, quippe intelligentibus, nihil esse propius factum, quam ut amici perfidiam his verbis incusare videretur. Qua sententiae ambiguitate fretus Toxilus in septima quarti actus scena v. 11 confidenter negat, se lenoni dedisse bonam operam. Sunt enim, nisi egregie fallor, Toxili verba ibi ita corrigenda: *Tibi ego? imo mihi servii.*

PSEUDOL. I. 3, 135.

Ps. In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
Ba. Numquid aliud etiam voltis dicere?

Planum quidem est, quod Ballio hic interrogat, sed non satis conveniens lenonis impudentiae, qui ferreum os suum congerronum convicio verberari aequo animo patitur, imo aptum potius sermoni hominis discessum parantis, quam improbam altercationem continuantis. Quae forsitan causa fuit, cur Taubmanno elegantius videretur id, quod a Schoppio in veteri quodam libro inventum est, ubi pro *aliud* legebatur *alium.* Quasi ita dicat Ballio: Num praeter superiora illa cognomina, quae mihi fecistis, insuper aliud mihi facere vultis? Sed ingenue fateor, nescire me, quae sit ista elegantia; praesertim quum magis consentaneum fuisset, respici ab interrogante novissima Pseudoli verba, quam, quae ex intervallo praecesserant, probrosa ista cognomina. Ea de causa haec me tenet opinio, in vocabulo *aliud* vel *alium* latere veram lectionem *oleum.* Quae si genuina Plauti scriptura fuit, nihil potuit ingenio lenonis accommodatius fingi, qui per totum colloquii tenorem id agit, ut non solum turpitudinem suam libens fateatur, sed

augeat quoque atque cumulet, et hoc maxime in loco alteram istam notissimae formulae partem omissam nolit, ne reprehensores sui non satis graviter durissimam ipsius frontem notasse videantur. Qua incredibili hominis impudentia tactus Calidorus exclamat: *Ecquid te pudet?* At enimvero poenitet nos paene olei conservati, quum nobis olivum alio in loco magnum negotium facessiverit. Leguntur enim in eadem scena v. 67 et 68. haec:

Eme die coeca hercle olivum, id vendito oculata die.
Iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.

Hunc confragosum locum plerique interpretes, ne vehiculo excuterentur, intactum reliquerunt, sed animosior caeteris Scaligerus dum ad coeca Iureconsultorum testimonia deflecteret, plaustrum perculit. Quod vero illam Catonis dictionem *die vendere* in medium attulit, meras nugas egit, discendique cupidos inani lance muneravit. Pro certa enim ratione arbitrium suum valere voluit, statuendo, non demonstrando, emere *die coeca* idem esse, quod *praesenti pecunia.* In quo tamen incili non haesisset vir caeteroquin acris ingenii, nisi involuta oratio, qua Plautus cum caeteris poetis expedito itinere currentes saepe ex improviso supplantare solet, fraudi ei fuisset. Manifestam enim et simplicem in hoc loco deprehendimus allegoriam, a callido sapientissimi Thaletis consilio repetitam, quo magnam illum pecuniam repente coegisse ab Aristotele et Cicerone accepimus. Thaletem igitur, laudatissimum apud veteres sapientiae exemplum, Ballio Calidoro proponit, quem si prudenti aliquo consilio imitetur, futurum esse ait, ut vel ducentas minas conficiat. *Coeca* enim *dies* eadem dicitur metonymia, qua coecus amor et similia, significatque illud tempus, quo homines minus sint perspicaces, providi, et de futuro solliciti, ideoque ab iis, qui eventura longius prospiciant, facile falli possint. Itaque simplex et aperta loci sententia haec est: Si sapias et Thales non Davus fueris, in proclivi erit inveniendae pecuniae consilium *).

*) Haec disertius exposuimus in Ferculo XIII.

II. 4, 42. 43.

Bene iuvas. Sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam; nam unam huius mihi debet
pater.

Recte vidit Gronovius, pro inepto vocabulo *unam* non bene poni a Salmasio *quinam*, quippe cum viginti minas senex Pseudolo ex promisso deberet. Sed quam idem fecit coniecturam, placere mihi ideo diffiteor, quod vocabulum *omne*, a Gronovio allatum, si ad quinque argenti minas referatur, non praestat Salmasii lectione: sin de viginti minis intelligendum sit, dura laborat ellipsi, sic fere supplenda: argentum, quod dem lenoni I. 5, 122. de quo tamen hic non agitur: quodque Charinum ex Calidoro audivisse Gronovius incerta opinione statuit. Quare nobis videtur a Plauto scriptum fuisse *summam*, quod vocabulum ob literarum similitudinem facile potuit mutari in illa verba *nam unam*; ad sententiam vero aptissimum est. Satis enim erat ad opem a Charino impetrandam, scire eum, deberi Pseudolo summam, unde mutuam pecuniam reddere posset.

POENULUS I. 2, 158.

Si non ego faxo, irata es, nimium pro te dabit.

Gronovius recte servandam esse existimavit veterem scripturam, a Turnebo repertam, hanc: *Ego faxo, si non irata es, nimium pro te dabit*, beneque intellexit, *nimium* pro quantumvis ingenti summa dici. Sed tamen ne sic quidem versus ille omni caret vitio. Offendimus enim in hiatu illo *irata es:* qui hoc in loco omnino non ferendus est. Etsi enim in mediis tetrametris trochaicis frequentissimus hiatus est; tamen ob longiorem in hac sede pausam, quae istos versus plane asynartetos facit, non licet divellere voculas, unum et integrum sensum efficientes. Quam legem, a Plauto diligenter custoditam, multum passim ad inveniendam veram lectionem conferre expertus sum. Itaque voculam *es* in fine secundae dipodiae relinquendam, ab initio vero tertiae pronomen *is* ponendum

censeo. Quod quam facile praeteriri a librariis potuerit, ostendit literarum similitudo, quae me in aliam quoque suspicionem duxit, an forte praeter *es* scriptum etiam fuerit *aes*.

IV. 2, 42 — 45.

— — Illum ut perdant facere possim, si velim,
Meum herum ut perdant: ni mihi metuam, Milphio.
Mi. *quid id est? cedo.*
Syn. *Malus es.* Mi. *malus sum.* Syn. *male mihi est.*
Mi. *Memora dum! esse aliter decet.*
Quid est, quod male sit?

Nodum in scirpo quaesivit Gronovius, quum interpretes merito notandos putaret, quod hunc locum otiosi praetermiserint. Omnia enim plana et perspicua sunt, si sententiam inter versum 43 et 44. omissam, quaque Syncerasti vox *malus es* apte coniugatur cum Milphionis verbis: *quid id est? cedo*, probabili coniectura inveneris. In qua re quum semel errasset Gronovius, arbitratus plenam responsionem Syncerasti hanc fere fuisse: *Non audeo apud te confiteri: malus es;* quoniam ex uno errore gignuntur plures, in eam opinionem inductus est, ut pro *malus sum*, censeret legendum esse *malis sum*, quasi diceret Milphio: Sic *sum* malus, sed *malis*. Quam scripturae mutationem numerorum leges repudiant. Nam *malis sum* Bacchius pes est, *malus sum* autem Plauti aetate Anapaesti vim habebat, qui pes huic loco utique conveniens est. Sed, ut diximus, nulla correctione opus est, modo colloquii instituti tenorem in oculis habeamus. Dixerat autem Syncerastus, posse se facere, ut perdatur herus suus, sed metuere sese. (sc. non herum, sed eum, quo opitulatore ad eam noxiam uti velit, h. e. Milphionem ipsum; id quod disertis verbis dicitur v. 62. *quid est, quod metuas?* Sync. — *ne a te pendeam.*) Interrogat igitur Milphio, *quid id est?* et loqui eum iubet notissima praecipiendi formula: *cedo.* Sed Syncerastus cautus et providus arcanum suum consilium prius aperire Milphioni dubitat, quam ille suae malitiae repetitam confessionem

fecerit. Itaque quaerit ex eo: *malus es?* (haec enim verba Syncerasto tribuenda et pro puncto interrogationis signum ponendum esse arbitror.) h. e. num vere et satis malus es, qualem te esse supra v. 34. memoraveras, ut tuo auxilio in mala re haud dubie fretus esse possim? Quod ubi Milphio fassus erat, iam propius ad manifestandum malum suum propositum accedit Syncerastus, causam ante omnia afferendo, quare hero suo succenseat: *male mihi est* (post *est* interpone metri causa *nunc*) h. e. male domi habeor.

ASINARIA I. 3, 41—43.

Cl. *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,*
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.
Arg. *Quid, si non est?* Cl. *tibi non esse credam: illa alio ibit tamen.*

Hunc locum doctissimus Lingius, qui de Plauto egregie mereri coepit, nuperrime in Athenaeo III. 1. aut mendose scriptum, aut parum hactenus intellectum esse pronunciavit, suamque de vera eius sententia opinionem ita proposuit, ut eos, qui rectius aliquid nossent, in medium consulere iuberet. Quam erudito viro dignam modestiam nostro exemplo haud improbare veremur, si hac scribendi opportunitate data, de loci illius interpretatione inter nos discrepare fateamur. Duo enim sunt, in quibus Lingii offendit iudicandi solertia: nimirum, quod lena postulavit stupri auctoramentum et adolescentis in respondendo fatuitas. Iam primo quod ludos attinet, quos Cleaereta Argyrippum immisericordi miseratione facit, eorum vis non quaerenda nobis videtur in contumelia, qua melioris sortis amatorem a rivali exspectari iubet, sed in eo, quod mulier, quae paulo ante dixerat v. 14. *Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis*, stultum adolescentem vana lactat spe, fore ut a lege sua illius gratia recedat, statim vero eam honoris habendi conditionem addit, qua et animum adolescentis ad speculam erectum inclementius affligit, et lenonii ingenii insanabilem improbitatem eadem prodit

oris duritia, qua leno ille in Persa IV. 3, 10. *Bonus volo iam ex hoc die esse: quod neque fiet, neque fuit.* Nam de illis lenae verbis: *si mihi dantur etc.* non est separatim cognoscendum, sed connectenda ea sunt praecedentibus versibus: *nec meum etc.* Quo facto apparebit, poetam spectatoribus usitatum fecisse fucum et liberalis ac gratuiti alicuius facinoris spe repente frustratos, ad effusum cachinnum provocasse, cuius extrahendi gratia repetere iubet lenam verba illa: *honoris causa gratiis.* Itaque *duo talenta* ista neutiquam premenda sunt, neque comparanda cum viginti minarum pretio, quo lena meretriculae operam adolescenti antea locaverat. Significant enim omnino magnam pecuniam, cuius tantam summam ideo ab adolescente postulat, ut non dubitet, sibi argento penitus emuncto omnem omnino praecisam esse spem. Quam quidem sui repulsam cum manifesta contumelia coniunctam aegerrime ferens adolescens lenam sic increpat: *Quid, si non est?* In quibus verbis non ineptam invenio responsionem, sed significationem animi indignabundi et obstinatis lenae auribus inculcare cupientis, non esse sibi pecuniam. Hanc enim vim graviter repetitae negationis inesse huic formulae *quid, si non* etc. alia docent exempla, veluti Pseud. I. 3, 52. distinguenda illa ab iis, in quibus coniunctivus modus sequitur, ut Poen. III. 3, 93. V. 3, 39. ubi illae voculae communicandi consilii potestatem habent. Nam quod lenae de inopia adolescentis satis persuasum erat, id in nullo equidem pono discrimine. Non enim ignorantem Cleaeretam edocere adolescens, sed pertinaciam eius simili perseverantia vincere vult. E quo certamine inferiorem abiturum esse adolescentem lena his verbis indicat: *Tibi non esse credam, illa alio ibit tamen.* Quod idem est, ac si diceret: quo maiorem verbis tuis fidem adiungam, eo certius commodis meis prospiciam. Quae quum ita se habere videantur, non possum a me impetrare, ut clarissimo Lingio assentiar, existimanti, lenam de alieno cogitare amatore, numeratam daturo pecuniam, adolescentem vero perspecta eius voluntate interrogare, quid factura sit, si talis amator nullus compareat. Ita enim

non magis inepta foret Argyrippi interrogatio, quam Cleaeretae responsio: *illa alio* (h. e. ad alium amatorem) *ibit tamen.* Accedit, quod recta cogitandi ratio et loquendi usus vix ferre videatur tam duram ellipsin, ut id, quod aliquis vel *esse*, vel *non esse* statuat, in perpetua oratione ne verbulo quidem significetur. Postremo denique Lingii argumento, e priori loco, quo pronomen *tibi* positum est, repetito, propterea me moveri infitior, quoniam nec locus nec ictus per se significat, quodnam sit potissimum sententiae alicuius vocabulum. Id ex accentu oratorio intelligitur, a mera dicentis voluntate suspenso; qui quum hanc potestatem habeat, ut vocabulum, cui inhaeret, semper ab eo, quod vel tacite vel expressis verbis opponi possit, insigniter distinguatur: multo verisimilius est, poetam, si pronomen *tibi* cum accentu pronunciari voluerit, idem fieri voluisse in altero pronomine *illa*, quam respici rivalem Argyrippi, nusquam antea in tota verborum comprehensione commemoratum. Sed admodum faceta est illa Argyrippi et puellae oppositio, quum de hominibus, quos adolescentis amor maxime coniunctos velit, lenae avaritia plane contrarium decernat.

XVII.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

NONUM.

DE PLAUTINA VOCE NUMERO.

In definiendis graecae et latinae linguae verborum significationibus quum tantam sumserint praestantissima omnium aetatum ingenia operam, quanta et ob meditandi diuturnitatem et ob iudicandi subtilitatem ad perfectam utriusque linguae intelligentiam sufficere videatur, sane miretur aliquis, cur eius rei studium non solum non refrigescat hodie, sed etiam, quasi nihil memorabile actum fuerit, acerrima multorum contentione agitetur: ac merito dubitet, an novi semper scriptores, dum meliora se, quam maiores, daturos esse promittant, alio potius ad scribendum consilio impellantur, quam quod operae pretium se facturos esse confidant. Etenim quum notionum, quae singulis vocabulis subiectae sunt, investigandarum ratio, etymologiae, figurae et syntaxis legibus contineatur, quarum nec abstrusa scientia, nec infinita copia est, totum linguarum, quae maiorum consuetudine patrio ore usurpari desierunt, dicendi usum, postquam omnes, qui aetatem pertulerunt, libri vetusti quasi cum pulvisculo a philologis excussi sunt, facile putaveris non posse

non plane et omnino perspectum haberi. Sed aliter res habet. Nam quum duo sint omnium rerum genera, alterum earum, quas natura genuit, alterum quae humano debentur ingenio, haud difficile intellectu est, illarum notiones ob naturae veritatem et necessitatem immutabiles esse atque aeternas, has vero non magis sibi constare, quam ipsam hominum mentem, unde natae eae et profectae sunt. Quibus igitur vocabulis prioris generis singulas res antiquitas nuncupaverit, vel ex una insigni aliqua nota perspicuum fit, quam si nullam uspiam repereris, frustra indagandae notioni operam dederis; sed quae alterius generis sunt, eorum vim et potestatem vix tum exploratam habueris, quum maxime frequens eorum atque obvia in libris, qui supersunt, usurpatio fuerit. Nam quum hominum inter se pro diversitate indolis voluntatisque arbitrio summa sit in cogitando sentiendoque discrepantia, et operum humanorum, sive illa sint manuum sive ingenii, perpetua aut in melius, aut in deterius immutatio, vix potest fieri, ut vocabulorum res humanas significantium, ab eodem scriptore usurpatorum, vim ac potestatem plane perspicias, nedum ut totam dicendi consuetudinem, longi temporis decursu innumeris partibus variatam, intelligendo assequaris. Hoc enim inter veterum et recentiorum gentium linguas maxime interest, quod harum sermonis usum ac varietatem aut ad rerum praesentium normam exigere, aut, si res sensibus percipi nequeant, facili loquendi audiendique commercio diligentissime rimari licet, praesertim cum iis gentibus, quarum vita, mores et ingenium haud dissimiliter nobis exculta sunt: illarum vero accurate discendarum ratio sola nititur disparis antiquitatis cognitione, per se incerta et difficili illa quidem, sed multo impeditiore propterea, quod innumera priscorum populorum instituta, mores, artes et disciplinae ita vetustate exoleverunt, ut eorum naturam non nisi per nebulam et transennam videamus, et verborum, quibus ea iudicantur, proprietatem vix aut ne vix quidem assequamur. Nec vero est, ut ipsorum grammaticorum veterum, qui fontes sermonis habentur, auctoritate acquiescere possimus. Etsi

enim ego non is sum, qui illorum studia fastidiose contemnere audeam, aut negare velim, potuisse eos, quo propius a literata et eleganti antiquitate afuerint, veram verborum vim clarius percipere et utique percepisse; tamen inter omnes eruditos constat, non contemnendos illos grammaticos in verborum expositione ita saepe nugari, opinari et hallucinari, ut sui iudicii fidem ipsi dubiam faciant. Quod si mature intellectum fuisset ab iis, qui serius de verborum significationibus scripserunt, non tot tantique errores per manus ad nos traditi venissent, quantis nunc vel probatissimi eiusmodi libri referti sunt, eo minus insignibus illis, quo maiorem habent a longinqua vetustate et consensu deinceps scriptorum commendationem. Sed multos iam ex tralaticiis maiorum erroribus correxit novissimorum grammaticorum acre iudicium, subtilioris quidem philosophiae studio limatum et diligenti similium inter se dictionum collectione et comparatione adiutum. Licet vero recentes philologi de indagandis verborum significationibus praeclare meruerint, tamen incredibile dictu est, quantum laboris iis, qui eandem laudem aemulantur, reliqui fecerint. Emergit hoc maxime in iis vocabulis, quae raro occurrunt et non seorsim posita, sed cum aliis semper consociata reperiuntur, neque rem aliquam, sed modum reï significant. Talium vocabulorum quum Plautus largam suppeditet copiam, nos quidem, qui huic potissimum scriptori dilucidando nostram qualemcunque dicavimus diligentiam, animum induximus, rem propositam exemplo vocabuli a Plauto repetiti, quod diu desertum vetustatis situs ita occupavit, ut post scribentium usui plane subductum fuerit, illustrare, atque eadem opera periclitari, an veram eius vim clare demonstrare possimus. In uno igitur Plauto, si quorundam vetustorum poetarum locos, a grammaticis servatos, exceperis, legitur vocabulum *numero*, cum verbo aliquo ita coniunctum, ut adverbii vicem obtineat. Unanimi autem consensu cum veteres tum recentiores grammatici significare illud statuunt vel *cito*, subnixi, ut videtur, Varronis auctoritate, e cuius Catone apud Nonium haec leguntur: qui *cito* facturum quid se ostendere

volebat dicebat *numero* id fore: vel *nimium*, cui opinatae significationi Plautus ansam praebuisse videtur, in cuius Casina III. 5, 20. Pardaliscae dicenti: *nimium saevis*, Stalino respondet: *numero dicis*, quasi interpretaturus verba ancillae. Iam etsi negari nequit, posse alterutram harum significationum, aut utramque simul sex illis locis, quibus a Plauto usurpatum hoc vocabulum est, utcunque accommodari; tamen quum isti loci aliam interpretationem admittant, non consentaneum est, ex verborum comprehensorum verosimili sententia de singulorum vocabulorum propria ac vera vi decernere, atque invertere certum grammaticorum praeceptum, quo sensum compositi sermonis ex manifesta singularum orationis partium potestate eruere recte iubemur. At Varronis tamen, inquis, et Plauti auctoritate acquiescendum est. De hoc posterius videbimus, a Varrone autem dubitandi veniam eo facilius impetravero, quod ille suam sententiam grammaticis argumentis confirmare neglexit. In hoc enim quasi cardine vertitur omnis disceptatio, ut causae manifestentur, cur vocabulum, de quo quaeritur, eum, quem grammatici volunt, significatum habeat; quibus non manifestatis, quomodo a veteribus dictum fuerit, observata eorum consuetudine tenebimus, sed quo modo utique debuerit dici, non satis exploratum habebimus. Vera igitur significationis ratio ab etymologia, certissima loquendi magistra, repetenda est, quippe quae sola causam contineat, quare aliud vocabulum ad eundem cum alio intellectum ferri potuerit. Quam causam quum ceteri grammatici in eo, quem perhibent, significatu vocabuli *numero* indagare omiserint, Schellerus autem nescire se ingenue fateatur*), pro certo affirmare non debebant, vocabulum *numero* antiquis scriptoribus idem valuisse, quod *cito*. Nec vero idem valuisse nobis non opinione solum, sed ad veritatem plane et ita persuasum est, ut, exposita nostra sententia, non fore discessionem in alienam, neutiquam dubitemus.

---

*) Ait ille: *Es scheint von* numerus *herzukommen; ich weiss es aber mit den dortigen Bedeutungen, wenigstens jetzt, nicht recht zusammen zu reimen.*

Numerus igitur omnibus rebus tribuitur, quae non unae sed plures eiusdem generis in rerum natura inveniuntur, et quarum copiam animo non aliter repraesentare possumus, nisi eam certo aliquo modo definiamus. Id quoniam metiendo fit, sequitur, ut mensura cuique rei conveniat, quae ex pluribus partibus composita sit. Sed quum suprema mensurandi lex in observanda aequalitate cernatur, pro natura coniunctarum partium duplex mensurandi ratio est. Nam si mentis aciem ab iis, quae in sensus incurrunt, abducimus, duo sunt, quae rem compositam efficiant, partium multitudo et magnitudo. Illam metimur quum singulas partes per se sigillatim discernimus: hanc, quum spatia, quae partibus explentur, inter se comparamus. Quo quidem utroque mentis labore informatur animo notio numeri, qui in definita comprehensione partium vel inter se vel spatio similium consistit. Sed non leve utriusque coniunctionis discrimen est. Nam quod priori modo coniungimus, id intelligimus esse *in numero:* quod posteriori, id *ad numerum* compositum esse videmus. Illa coniunctio interna, haec vero externa dicitur. Idque merito. Nam ad intelligendam multitudinem satis est enumeratio ipsarum partium, ad magnitudinem vero opus est, ut extrinsecus accedat spatiorum, quibus multa comprehensa sunt, cogitatio. Itaque et sic dicere licet, multa esse numerum, magna habere numerum, et numerorum naturam consistere in aequalium partium finita multitudine, usum in metiendis locorum et temporum spatiis. Numeri enim per se sine spatiis mente concipiuntur, spatia sine numeris metiri non possumus. Quare musici, poetae et alii artifices, qui in metiendis spatiis occupantur, recte intelligunt, spatia numeris utique definienda, eorumque diversitatem ex numerorum varietate iudicandam esse; sed intelligendi praecipiendique facilitatem sustulerunt, dum numeri vocabulum ad significanda quoque spatia, iisdem et aequalibus numeris definita, transtulerunt. Etsi enim loca atque tempora solo multitudinis respectu numerari licet, tamen non sunt numeri, sed formae, quibus numeri, sive aequales, sive inaequales, tanquam materia aliqua, subiecti

sunt. Unde satis elucere arbitramur, locorum temporumve aequalitatem non proprie dici numerum, et multo elegantiores Graecos fuisse, qui diversis rebus diversa tribuerunt nomina, et nudos numeros ἀριθμὸν, spatio vero aequali ratione concretos ῥυθμὸν appellaverunt, et quam in locorum spatiis συμμετρίαν, eam in temporum intervallis εὐρυθμίαν dixerunt; quamquam non satis constanter: quippe qui hanc postremam aequalitatem generis vocabulo ῥυθμὸν vocare magis assueverint, interdum etiam συμμετρίας nomen eodem trahere non dubitarint. Sed ut ut sit, facit tamen haec graeci sermonis ubertas, ut Plautini istius vocabuli *numero* significationem investigare accuratius et explicare dilucidius possimus. Ac statim a principio, quum vocabulum *numero* ita semper verbis adhaereat, ut modum, quo quid sit vel fiat, indicet, esse autem atque fieri nihil extra loci vel temporis spatium possit; clare apparet, isto dicendi genere non ἀριθμὸν, sed ῥυθμὸν aliquem indicari. Porro quum ῥυθμὸς in aequalitate intervallorum maxime cernatur, oportet rem, quae cum alia *numero* i. e. ῥυθμῷ fit, nec loco nec tempore ab ea discrepare, sed in idem spatii punctum incidere, atque ita convenire, ut cantorum voces tibiarum sonis, saltatorum motus tympanorum percussionibus respondent. Quum igitur in ῥυθμῷ, si a rebus ipsis cogitationem segreges, id remaneat, ut aliquid cum aliquo conveniat, convenientiae notio quasi fundamentum omnis rhythmi est; unde sequitur, ea in universum recte dici ῥυθμῷ vel numero fieri, quae convenienter, congruenter et apte ad rem respectu loci atque temporis fiant (a tempo, à propos). Atque hanc solam esse et communem omnibus locis, in quibus hoc vocabulum apud Plautum occurrit, significationem, mox videbimus. Sed celeritatis notionem quomodo mihi aliquis e vocabulo numero extricare velit, non video; quum ἀριθμὸς omni motu careat, ῥυθμὸς vero multiplices motus concedat, ut non appareat, cur quae *cito* eveniant potius, quam quae tarde gerantur, numero fieri existimentur. Id quod probe intellexit Plutarchus, qui ad Saliorum celeres in tripudio numeros describendos non simpliciter

dicit, eos *ἐν ῥυθμῷ* saltasse, sed addit: *τάχος ἔχοντι καὶ πυκνότητα.* Accingamur igitur ad singulorum locorum interpretationem.

AMPHITRUO I. 1, 25.

— — — numero mihi in mentem fuit,
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.

Sosia Alcumenae reditum Amphitruonis post belli victoriam nunciare iussus, dum prope abest ab aedibus de dura servitute sua conqueritur; sed repente ad deorum cogitationem conversus, *numero*, ait, *mihi in mentem fuit etc.* Hic loco *numero* idem esse, quod *iusto tempore* ex sequenti oratione clarum fit. Exprobrat enim sibi ingratum erga deos animum, quorum ita vivat negligens, ut vix eo tempore in eorum redierit memoriam, quo maxime dignum et usitatum erat cultu et honore eos prosequi, eaque turpitudinis confessione, ut solent nefarii homines, se negligentiae culpam redemisse et pietatis officio defunctum esse opinatur. Prae gaudio igitur, quod non plane oblitus erat, quod primum praevertendum fuerat, exclamat: *numero mihi in mentem fuit etc.* Quae verba ita verto: *Es war auch die rechte Zeit, dass es mir einfiel.* Nempe haec per ironiam intelligenda sunt, ut loqui solemus, quum monere volumus, prope factum esse, ut iustum rei gerendae tempus praetermiserimus. Atque haec ironiae vis huic vocabulo in Plauto semper inhaeret, praeter unum locum, de quo postea videbimus*).

MENAECHM. II. 2, 13.

Menaechme, numero huc advenis ad prandium.
Nunc obsonatu redeo.

Hic coquus ab Erotio meretrice obsonatum missus e foro rediens ante ostium Menaechmum Sosiclem videt;

---

*) Nova de hoc loco meditatio, cui varia verborum lectio

quem quia eundem esse cum altero Menaechmo surrepticio, qui ad prandium invitatus erat, existimat; ita eum alloquitur: *numero huc advenis etc.* Hanc manifestam ironiam esse ostendunt, quae superius v. 3 – 5. dixerat: *Vae tergo meo prius etc.* Vult enim significare, non opportuno, sed intempestivo tempore adesse eum: plane ut Graeci aliquem vel σύμμετρον ἀφικέσθαι, vel ἄῤῥυθμον ἔρχεσθαι dicunt. Euripid. Alcest. 26. Hippol. 532. Sed quod contrarium dicit, id prae indignatione irridens facit, ut nos incommodum alicui adventum exprobraturi dicimus: *Du kommst mir eben zu gelegener Zeit.*

MERCATOR IV. 3, 37.

Nihil hercle istius quicquam est. Numero purgitas.

Invenerat domi suae uxor Lysimachi puellam ab eo amici gratia clam hospitio exceptam, eamque suam pellicem esse arbitrata, urget maritum, ut dicat, quoia illa sit. Maritus vero, qui nec boni viri famam perdere, nec fidem amico datam fallere vult, torquetur misere; dumque haesitanter et varie respondet, ita auget uxoris suspicionem, ut ea iam fraudem sibi factam intelligere aperte contendat. Itaque ad incitas redactus maritus, interposito iureiurando, innocentiam suam uxori persuadere conatus exclamat: *Nihil hercle istius quicquam est!* Respondet vero mulier: *Numero purgitas.* Quae verba nullo modo significare possunt *cito purgitas*, quippe quum ille se neque cito quidem, neque sic omnino purgitaret. Inepta sane talis erat purgitatio; sed eam mulier ex industria numero factam h. e. aptam dicit, quo acriori sale inflicta marito vulnera perfricentur. Saepe enim stultitiam laudando magis quam vituperando refellimus. Itaque hunc locum sic verto:

Lys. *Nein gleichsam ihr Sequester bin ich.* Dor. *Ich versteh's.*
Lys. *An so was ist gar kein Gedanke.* Dor. *Du hilfst dir gut.*

---

ansam dedit, perduxit nos ad aliam sententiam, quam in Ferculo decimo quinto proposuimus.

POENUL. V. 4, 101.

— — — o Apella, o Zeuxis pictor,
Cur numero estis mortui? hinc exemplum ut pingeretis!

Haerentem in amplexu filiarum, quas periisse putaverat, patrem videt Agorastocles, et ob spem matrimonii cum altera ineundi in partes veniens eius laetitiae exclamat: *o Apella etc.* Est enim molli animo, qui pulcritudine rerum facile movetur, consentaneum, optare, ut voluptatis ex adspectu pulcrae imaginis percipiendae materia artificum manibus diuturnitatem accipiat. Quam spem in re praesenti ob pictorum tunc viventium inertiam inanem esse sentiens Agorastocles in memoriam redit Apellis et Zeuxidis, quos solos censet pares fuisse pingendo exemplo ad naturam proxime accommodato. Dolet igitur eos esse mortuos, idque numero factum esse ideo dicit, ut sortem humanam irrideat, quorum vita adeo coeca fortuna regatur, ut non numero i. e. opportuno tempore, sed ibi saepe moriantur, ubi eos vivere maxime interesse videbatur. Sensus loci patrio sermone ita exprimi poterit:

— — — o ihr Maler, Apell und Zeuxis,
Warum seyd ihr gerade todt? wie hättet ihr das kopiren sollen!

CASINA III. 5, 21.

— — — — — Nimium saevis.
Numero dicis. Sed hoc quicquid est, loquere; in pauca refer.

Ex aedibus Stalinonis proripiens se ancilla, paratam hero ab insana eius uxore caedem nunciatura, et tanti facinoris terrore paene exanimata, voces fundit claras quidem et male ominatas, sed quae rem ipsam nullo modo patefaciant. Perculsus igitur metu dominus et ancillae tergiversationem, qua saepius interrogantem extraxerat, aegerrime ferens, haec in illam increpat: *Iam tibi istuc cerebrum dispercutiam. excetra tu: ludibrio pessuma adhuc quae me habuisti.* Quas eius minus

quum ancilla blanda compellationo *hero mi* deprecata esset, ipse quoque se revocat et sedatiori animo quaerit: *quid vis, mea ancilla?* quippe arbitratus, se iam rectam orationem sine ambagibus auditurum. Sed illa pergens mitigare dominum dicit; *nimium saevis.* Quod dictum, verum quidem, sed a facta interrogatione alienum reprehendens dominus, *numero*, inquit, *dicis*, h. e. apte dicis. In quibus verbis eadem est, quae in similibus locis ironia. Nam si serio aptum dicere vellet ancillae sermonem, non iuberet eam statim aliud loqui. Itaque haec ita capienda sunt, quasi germanice diceret:

Dazu ist eben die rechte Zeit. Sprich, was giebt's?
Fass dich kurz.

MILES V. 7.

Perii! haud etiam, numero hoc dicis, iam in hominem
involo?

Hic miles, atrocissimarum adulterii poenarum minis perterritus, exclamat: perii! Sed Cario, inclementer in miserum consultans, premit eum suo ipsius verbo perii. Quam vocem, in maximis malis usurpari solitam, simulat se intelligere, ut verbum sonat, quasi se iam defunctum dixerit miles suppliciis, quae integra tamen et gravissima ei imminebant.

Pyr. *Bin des Tod's!* Car. *Ist noch nicht Zeit zu sagen —*
Fall' ich über ihn?

Non debebat igitur Acidalius post vocabulum *etiam* incidere sermonem, neque eos contemnere, qui nullam ibi interpunctionem fecerant. Qui tamen eius error, e tralaticia vocabuli *numero* significatione profectus, levior est, quam Douzae, cui causa, cur *numero* antiquitus pro *nimium cito* dictum sit, patere visa est e Macrobii loco lib. II., ubi ne Lynceis quidem oculis eius rei vestigium appariturum esse certo scimus. Ceterum hic loci vocabulum *numero* extra ironiam poni elucet e praecedenti negatione *haud etiam;* quae voculae, quid cogitandum sit, tam clare indicant, ut contrariam vocabuli numero vim ex tam manifesta sententia plane excludant.

Satis de Plauto dictum est. Sed ut nostra opera aliorum labores adiuvemus, age videamus, an ad eandem vocabuli *numero* significationem obscuros illos et corruptos Festi atque Nonii locos, quasi ad communem normam dirigere possimus. Exceptis autem iis locis, qui vel e Plauto hausti sunt, vel nullam admittunt medicinam, Festus haec habet:

a) Item in Nelei. *Nunquam numero matri faciemus volup.* (ut Scaliger pro *volui* probabili coniectura posuit). Quod nos sic interpretamur: non erit haec matri tempestiva voluptas. Damit werden wir der Mutter gerade jetzt keine Freude machen.

b) Apud Naevium: *Neminem vidi, qui numero sciret, quod scito est opus* (ex emendatione Scaligeri). Hic *numero* nobis est idem, quod in ipso rei gerendae momento, statim et extemplo. Keinen sah ich, der sogleich das wusste, was zu wissen war.

c) Attius in Oenomao; *Ego ut essem affinis tibi, non ut te extinguerem, tuam peti gnatam, numero te expurgat timor.* Haec similia sunt Plautinis illis: Mercat. IV. 3, 7.

d) Afranius in Suspecta: *Per falsum, et abs te creditum numero nimis*, i. e. statim creditum.

e) Caecilius in Aethrione: *Hei perii, quid ita? numero venit, fuce domum.* Weh mir, warum? er ist eben gekommen, flieh ins Haus.

f) Denique locum ex Afranio in Simulante sic interpungo: *Hei misera. Numero ac nequicquam egi gratias*, i. e. inepte et nequicquam egi gratias. Nam, qui hic loquitur, suum ipsius praematurum gratias agendi studium accusare et irridere videtur. Sed quam ob causam Dacerius legendum esse dicat: *Enim sera numero etc.* id nulla coniectura assequor.

Nonii autem loci, quos cum Festo non communes habet, hi sunt:

a) Accius Antigona: *Ne istum numero amittas subitum oblatum.* Haec ita intelligimus: Ne istum eodem momento, quo acceperis, amittas.

b) Turpilius Demetrio: *Nunquam nimis numero quemquam vidi facere, quum facto est opus.* Huius loci sententia respondet versui Naeviano a Festo servato.

c) Idem Lindia: *Ego interim in turba foras subduxi cum hac me, neque sat numero mihi videbar currere.* Hic *numero* mihi significat *convenienter*, aut cursui mulieris, aut fugae necessitati.

d) Varro περὶ ἐξαγωγῆς: *Quid puer rogasset et petasatus capite annuisset, ac discedens numero venire ait adolescentem.* In his odoror interpretamentum verborum Caecilii a Festo allatorum.

e) Afranius Privigno: *Numero inepti pertimuistis cassam terriculam adversarii.* In hoc versu trochaico tetrametro acatalectico pro *adversarii* scribendum est antiquo more *adversari.* Quod vero *inepti* vocantur, qui timuerunt, id manifestum est indicium eius significationis, quam habet vox numero, quae hic, ut in plerisque locis usurpatur per ironiam. Inepte enim timet, qui cassam metuit terrículam.

f) Varro, Cato vel de liberis educandis: *Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant, quod qui cito facturum quid se ostendere volebat, dicebat, numero id fore; quod etiam in partu precabantur Numeriae, quam deam solent indigetare etiam Pontifices.* Etsi haec verba manifesto docent, quam potestatem Varro tribuerit vocabulo *numero;* tamen ex causis propositis ne huic quidem auctori plenam fidem habuero, praesertim quum aeque verosimile sit, Numerios dictos esse ideo, quod iusto tempore, plane exacta gignendi maturitate, actis, ut dicitur, mensibus, nati erant, et Numeriam a parturientibus eo consilio fuisse invocatam, ut iuberet partus atque dolorum tempora congruere, h. e. numero parere; quemadmodum apud Horatium Ilithyia rite maturos aperit partus.

His ita expositis etsi nobis videamur praestitisse, quod promiseramus, nec dubitemus aequos iudices litem esse secundum nos daturos; tamen, priusquam e foro discedatur, id tribuendum existimamus honori Varronis, Festi et Nonii, ut ostendatur, qua fiducia illi, sermonis

latini observatores diligentissimi, in eam, quam improbavimus, opinionem consenserint. Hos in transversum egit haud dubie praeposterum de singulorum verborum ex sensu alicuius sermonis percepto significatione constituenda iudicium. Nam quum ea, quae non fiunt numero, ita moveantur, ut vel citra numerum, ad quem referuntur, fiant, vel extra eum; necesse est, utroque modo alter numerus altero sit celerior. Quod enim prius absolvitur, quam certa loci atque temporis mensura postulat, id citius finitum est; quod vero excurrit mensuram, id ab ea, quam debebat, citius relinquitur. In sola vero numerorum paritate est aequalitas; quae neutrum motum neutro patitur aut celerius aut tardius procedere. Iam vero quum dicendi consuetudo, ut supra demonstratum est, ita ferat, ut vocabulum *numero* plerumque irrisionis causa adhibeatur, neque aequalitati, sed inaequalitati temporum notandae inserviat, non potuit fieri, quin ea talium locorum esset sententia, ut praepropere aliquid ac festinanter factum esse indicaretur. Confuderunt igitur illi grammatici orationis sensum, neque hunc satis ubique compertum, cum ipsa vocabuli significatione; quam si quis nobis in paucis illis locis, in quibus citra ironiam positam vocem *numero* reperisse videmur, ita cum potestate vocabuli *cito* congruere ostenderit, ut verba alia, sed non alio tendentia, inter se convenire oportet, nihil causae erit, quin operam atque oleum philologiae nostrae periisse haud inviti confiteamur.

XVIII.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DECIMUM.

DE VOCABULIS

UNI PLAUTO SEMEL USURPATIS.

Intelligendarum linguarum veterum difficultatem norunt omnes eruditi vix maiorem nasci ab alia re, quam ab iis vocabulis, quae uni tantum scriptori semel usurpata sint. Licet enim ea nulla etymologiae obscuritate laborent, ipsa tamen insolens et invisitata alias species satis iustam grammaticis causam afferre potest de veritate eiusmodi vocabulorum pariter ac de eorum notione dubitandi. Nam ut omnes alii scriptores praeter unum in simili causa atque argumento certum aliquod et bonum vocabulum, aut proprio sermoni aut variandae orationi accommodatum, non unquam posuerint, id non fortuito nec temere factum putandum est, nec minus mirum videri debet, quam illud, quod unus aliquis scriptor cognitum sibi et probatum non plus quam semel protulerit. Cuius rei rationem quo minus censeam aut a vetustate temporis, qua multa obsoleverunt vocabula, aut a novandi studio repetendam esse, illa me impediunt, quod nescio, qui unus scriptor potuerit meminisse vocabuli tanto vetustatis situ oppressi, ut ceteris omnibus, quotquot eius linguae aetatem tulerunt, scriptoribus plane ignoratum fuerit, et quod probe teneo

consuetudinem hominum, cum novi quidquam sive in rebus, sive in verbis invenerint, quam libenter id in oculis auribusque omnium esse velint, et aliorum existimationi ad satietatem usque venditent. Nec vero illud mihi aliquis obiiciat, quod multa vetusta vocabula a scriptoribus, eruditionis famam et orationis dignitatem sectantibus, revocata, et nova a poetis, potissimum comicis, risus gratia et metri quoque necessitate ficta reperiantur; quippe quorum usus sufficientem et idoneam habeat rationem. Sed de iis loquimur, quae cur semel inveniantur non modo necessaria, sed ne probabilis quidem causa potest ulla afferri, et quae propterea suspicionem movent haud exiguam, utrum omnino, an sic saltem, ut hodie leguntur, a scriptore ipso profecta sint. Quam quidem suspicionem consensu optimorum in membranis vel chartis exaratorum librorum, vel auctoritate veterum grammaticorum minui quidem, sed non plane tolli, iis facile intelligitur, qui in ea re non plane hospites de mendorum antiquitate, de librariorum peccatis, de criticorum audacia persuasum habent, quique vel e mediocri grammaticorum librorum usu didicerunt, quam varia et multiplici ipsi illi egeant medicina. Nam lexicorum, quae vocamus, auctoritate, quis est, qui non perspiciat, ad indagandam eiusmodi vocabulorum veritatem nihil a doctis viris profici, tirones vero in tantos induci errores, ut praeclarius cum iis actum foret, si in illis libris talia vocabula aut omnino non proposita, aut certe non exposita essent? Quae cum ita se habeant, visus mihi sum operae facturus esse pretium, si in eius generis vocabula, quorum Plautus ingentem suppeditat copiam, aliorum de iis sententias nihil moratus, nova disceptatione inquisivero, eoque labore effecero, ut rectius possit de latinitate Plautina iudicium fieri. Triplex autem vocabulorum semel dictorum genus est. Alia ab etymologia et analogia pariter commendantur, aliorum notatione aut forma offendimur, in aliis utraque ratio dubia et obscura est. Haec facilitatis praecipiendi causa praemonenda duximus, non vero ideo, ut aliquis sic dispositam super ea re disputationem exspectet; quam ordinatim instituere occupato mihi multum

laboris, legentibus nihil utilitatis afferret. Itaque nos iudicium eius rei intra angustos unius fabulae, quae Truculentus inscribitur, fines exercebimus; quem satis amplum et idoneum esse campum, in quo excurrere cognoscique possit virtus ingenii, nemo dubitaverit, qui magnas innumerorum noverit locorum salebras, in quibus acutissimorum interpretum sapientia dudum adhaesit. Occurrunt igitur semel dicta vocabula in his locis:

PROLOGUS v. 21. 22.

Quid multa? aetas huic si superet mulieri,
Is cum anima ad eam habentiam everrerit.

Habentiam Latinos dicere potuisse caret dubio, quippe cuius formae voces permultae in usu sint, quamquam longe plurimae a verbis tertiae declinationis derivatae; et vere ita dixisse ostendit Nonius verbis Claudii Quadrigarii, quae sic sonant: *Animos eorum habentia inflarat;* vocem eam recte derivans *ab eo, quod est habere,* sed inscite cum vocibus *industria* et *concordia* comparans ille quidem, melius cum vocabulo *sapientia,* quamquam ne hoc quidem ipsum satis prudenter. Nam quum sapientia solam mentis animique facultatem, non vero id quod sapitur significet, oportebat eum cum habentia scientiam comparare, quae utrumque indicat. Licet vero non alienum fuerit a latina dicendi consuetudine vocabulum habentia; vereor tamen, ut in hoc Plautino loco suo iure stet: quam quidem dubitationem mihi et sententiae perversitas et numerorum discrepantia afferunt. Sermo enim est de muliere, quae reliquam dat operam, ne sit amatori reliquum, et quae rem ab eo cum pulvisculo auferre studet. Itaque oportuit illum maximam iam calamitatem passum esse, ut ei a longiori mulieris vita leve admodum habentiae, i. e. rei familiaris, penitus fere eversae, periculum instaret. Sed aliud, idque gravius, imminebat insano amatori malum, ut, qui non amplius in numis haberet, nec sciret unde viveret, ad incitas redactus animam amoris culpa efflaret. Quod si poeta, ut persuasum habeo, intelligi voluit, non debuit dicere: cum anima habentiam everrerit, sed

animam cum habentia everrerit. Id enim non solum sententiae gradatio postulat, sed sana utique ratio, quae non alium, quam hunc pereundi ordinem in his duabus rebus agnoscit. Apparet igitur verborum corrigendorum necessitas; sed modus tentandae emendationis clarius explicandus est. Si igitur *animam* pro *anima* recipimus, non ferri potest praepositio *cum*, sed mutari debet in *tum*, apposite ad illum dicendi morem, quo res, quae conditionem sequitur, cum praecedenti sententia per particulam *tum* copulari solet. Deinde *habentiam* minima literarum mutatione in *Lubentiam* transformamus, quod Veneris cognomen, a Cicerone et Varrone *Lubentina* scriptum, Plautus in Asinaria II. 2, 2. posuit. Sed huius deae mentione nihil potest ad nostri loci sententiam fieri aptius. Amicas enim a suis amatoribus vocari Veneres in promtu est, quarum favorem tantum servitutis auctoramentum putant illi quidem, ut in earum castris non solum aere dirui, sed mori adeo facillime patiantur. Quo quidem furore in exitium suum praecipitantem militem Plautus lepide figurata oratione dicit animam ad eam Lubentiam everrere. Censemus igitur hunc versum ita scribendum esse:

Is tum animum ad eam Lubentiam everrerit.

Qua emendatione metro quoque ob duplicem hiatum importunissimo loco, in fine dipodiarum iambicarum, factum consulitur. Alter enim hiatus, post vocabulum *eam* nullo modo ferendus, sic plane tollitur: alterius in voce *Lubentiam* faciendi licentiam nomini proprio concedendum utique putamus. vide Hermanni Element. doctr. metr. p. 88 et 190. Unde simul apparet, supervacaneum saltem fuisse Palmerio interponere graecam vocem ἔξω, cuius nulla in libris scriptis reperiuntur vestigia. Ceterum sententiam Plauti vernaculo sermone ita nos exprimendam esse arbitramur:

Kurz, wenn das Mädchen länger noch am Leben bleibt,
So fegt er auch die Seele für die Göttin aus.

Transimus ad alium locum, in quo insignis est ἅπαξ λεγομένων concursus. Est ille in

ACT. II. Sc. II. a. v. 14—17.

As. *Rus merum hoc quidem est.* St. *pudendumne? tu vero clurinum pecus.*
Advenisti huc sistentatum cum exornatis ossibus.
Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam.
An eo bella es, quia accepisti? ar me advenias.
A. *nunc places.*

In his quatuor versibus totidem reperiuntur vocabula, quae praeter Plautum nullus antiquus scriptor novit. E quibus duo illa *sistentatum* et *ar* adeo omni carent ratione grammatica, ut in manifesto mendo cubare, et ad nativam formam refingenda esse videantur. Nam quae a Prisciano compositorum vocabulorum exempla proponuntur, in quibus praepositio *ad* a veteribus mutata sit in *ar*, ea sunt eiusmodi, ut e spiritu, cum quo altera compositi vocabuli pars pronuntianda esset, facile eluceat, cur litera *d* in asperiorem sonum tansierit. Sed ante literam, quam vocant labialem, eodem modo mutatam esse istam praepositionem, nullo exemplo doceri potest, minime vero omnium extra compositionem.

Aeque vitiosum est vocabulum *sistentatum*, in quo nunc ampliandi potestate utamur. *Clurinum* autem pecus recte dici non absimile vero est, cum quidem et Arnobius idem vocabulum usurparit, et in Glossario, nescio quo, legatur: clura πίθηκος; et Papias scribat: Clura vel clurinum simia dicitur. Cuius vocis notationem Festo acceptam referimus, qui ait: Simias a clunibus tritis dictas existimant. Quare me non adversante fecerit, si quis Colerum secutus pro *clurinum* scribere *clunium* maluerit. *Insuaso* denique an *suaso* legendum sit, iam Festi aetate dubitatum est. Utrumque bene dici posse similium vocabulorum docent exempla, ut fucatus et infucatus. Significatio illius vocis uno Festi testimonio nititur, qui solus auctor est, suasum colorem appellari, qui fiat ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Sed utrum primitiva an derivata vox sit, idem in medio reliquit. Ac recte ille quidem. Est enim inter grammatici virtutes quaedam nescire. Neque tamen defuerunt,

eodem teste, qui dicerent, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadeatur in alium ex albo transire. Qua vocis explicatione nihil aliud eos voluisse arbitror, quam ut soli scire viderentur, quae iuxta cum ignarissimis intelligerent. His utcunque expositis iam ad cogitationem de totius loci sententia accingamur. Iam primo statim versu in eo haeremus, quod Stratilax puellam clurinum pecus h. e. simiam appellat. Non enim nescimus, simiam valere pro convicio vilis, nequam et turpis hominis, sed non minus certo scimus, mulieribus istam verbi contumeliam nunquam fuisse adspersam. Accedit, quod interrogatio illa, *pudendumne?* appositior sit animo placidi, quam truculenti hominis, nec ipsius metri constet ratio, quae melius processerit, si cum codice Lipsiensi loco pronominis *tu* particulam *et* ponamus. Quapropter nos integrum versum Astaphio tribuendum et sic scribendum esse arbitramur:

Rus merum hoc quidem est, pudendum et vero clurinum pecus.

Nempe *pudendum* ad *pecus* referri debet, et simile est illi, quod Plinius Hist. Nat. XXIX. 6. de blatta dicit: hoc quoque animal inter pudenda est. Sed pulcram vide in rebus gradationem! A genere enim ad speciem, a specie ad formam inferiorem descenditur. Illa vero quum dixisset Astaphium, recedere paulisper putanda est a Truculento, qui, iratus illi non magis quam illudens, iubet eam accedere et tentare suam simiae naturam his verbis:

Adveni isthuc sis, tentadum, cum exornatis ossibus.

Ita enim discriminatis syllabis nativam huic versui faciem restituendam esse arbitror. Quod vero exornata ossa dicit, eo par pari respondere vult, et significare, non minus foedam apparituram esse mulieris speciem, si ornamentis careret, quibus corporis turpitudinem tegeret. Sed ne his quidem ornamentis quidquam ad emendandam formam profici, quippe cum pallula tetri et sordidi coloris induta sit.

Ea vero, quae sequuntur: *an eo bella es, quia accepisti?* spissis obducta sunt nebulis; quas, quoniam nullis adminiculis, sed, ut dicitur, nostro Marte utendum est, paulo audacius impugnare et ita discutere conamur, ut pro *ar me advenias* scribamus *a me veniam.* Unde prodit ea sententia: An tamen bellam te putas fortasse ideo, quod a me accepisti veniam! (sc. irarum v. 12 et 13.) Quam opinionem puellae ut ex animo evellat, omnemque errandi et superbiendi occasionem tollat, id, quo mulieris animum nihil acrius mordere potest, subiungit: *non places.* Hoc enim modo extrema versus legenda et eidem Stratilaci assignanda videntur. Totus igitur versus, ut opinor, sic integritati suae restitui debet:

An eo bella es, quia accepisti a me veniam? non places.

Quam spretae formae iniuriam moleste ferens mulier ad miserabilem sonum inflexa et submissa voce ait: *Quam me illi velim!* sc. placere. Quod auribus excipiens Truculentus et probe intelligens non sui honoris gratia, sed ut Phronesii voluntati velificetur, ab ancilla optari, *mentiris* ait, et ad novam mulieris cavillationem se componit interrogando: *dicis, quod te rogo!* pro quo metri causa scribendum duco: *dicis id, quod te rogo?* Cui emendationi suffragatur codex Lipsiensis, qui habet: *dicis quid quod te rogo.* Verba quae sequuntur haud exiguis laborant vitiis, quibus ne praesentem medicinam adhibeamus, vetat ea cogitatio, quod proposuimus nunc de verbis semel dictis disserere. In quo negotio priusquam pergamus, liceat nobis totum, quem hactenus tractavimus locum ad unum oculorum conspectum componere:

As. *Rus merum hoc quidem est, pudendum et vero clurinum pecus.*
Str. *Adveni isthuc sis, tentadum, cum exornatis ossibus.*
Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam,
An eo bella es, quia accepisti a me veniam? non places.
As. *Quam me illi velim!* Str. *Mentiris; dicis id, quod te rogo?*

Haec in vernaculum sermonem ita transferenda putamus:

As. *Das ist ächte Dorfart, hässliches, ja ein wahres Affenvieh.*
Str. *Komm hieher, versuch es nur, du aufgeputzt Gerippe du.*
Deines russigen Mantels wegen, Schandbalg, hältst du dich für schön?
Oder weil dir Schonung wiederfahren? du gefällst mir nicht.
As. *O wie möcht' ich ihm!* Str. *Du lügst. Jetzt sage, was ich wissen will.*

IV. 4, 6.

Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis.

Hunc versum vitiose se habere vel metri corruptio indicat, multo vero magis monstrosa vox *manstutor*, quam Plautinam esse Acidalius negat se crediturum, etiamsi aliquot Turnebi affirment. Videlicet, offendisse illum in ipsa vocabuli notione, quum in gerenda bonorum tutela manus praecipuam haberi rationem ineptum indicaret. Sed gravior causa ab analogia repetenda est. Exempla enim vocabulorum *manceps*, *mansuesco* et *manupretium* demonstrant, in eiusmodi vocibus compositis Latinos vel totam syllabam *us* vel extremam tantum literam abiecisse, nunquam vero extrusa vocali *u* retinuisse consonam *s*. Recte igitur Acidalius manstutorem illum de civitate Romana exterminavit, in ceteris, ut opinor, minus circumspecte versatus est. Primo enim quum versum illum sic constituendum censuit: *Sed video eccum, qui suis tutorem me adoptavit bonis*, non bonum nobis designatorem egisse videtur, propterea quod caesuram in fine secundae dipodiae neglexit, quod particulam *sed* sine tessera in theatrum submisit, et quod pronomini *suis* sedem assignavit incommodam, commodius ante *bonis* collocando, propter extremam verbi *adoptavit* syllabam, quod verbum, in cod. Lips. *adoptavis* scriptum, coniecturam nobis affert, excidisse ibi potius vocabulum *suis*, quam eo in loco, ubi multo difficilius repertu est,

quo casu syllaba *mans* in locum vocabuli dissimillimarum literarum subierit. Accedit, quod observavimus, hunc esse Plauti morem in collocandis pronominibus, ut ea aut nullo, aut brevissimo intervallo a suis nominibus seiungantur. Quae causae sunt, cur versum istum sic verius scribendum existimemus:

Video eccum, qui iam tutorem me optavit suis bonis.

Sed de eius, qui hunc praecedit, versus sede praecipitasse nobis videtur Acidalius sententiam, dum eum post versum undecimum collocatum aliquem satis tolerabilem sensum accepturum esse dixit. At enimvero grammatici non est quaerere, quid tolerabile sit, sed quid probabile, verum et necessarium. Et sane ne tolerabilem quidem sensum hoc habet, quod Acidalius Dinarchum incogitanter exclamasse dicit. *Ubi id audivit?* quippe quum gaudio et admiratione velut extra se positus fuerit. Quomodo enim fieri possit, ut amator coactus renuntiare puellae unice amatae familiaritatem, et sentiens non abscondita suspicione subolere ei, sed iam patere extremi colloquii causam, prae gaudio mente quasi alienetur, id equidem nulla ratione intelligo. Profecto non sic errasset Acidalius, si secunda ingenii sui fortuna hanc ei obtulisset cogitationem, verba illa mulieris: *me videre vis et amari postulas* (ita enim metri causa corrigo) per interrogationem, negationis vim habentem, dici, et quid ea vere statuat his demum verbis subnecti: *puerum petis.* Nam mulierem, quae mox dictura est: *scio equidem, alibi iam animum tuum*, repugnat serio dicere: *scio quid postules, me te amare postulas.* Ut autem versus ille, de quo agimus, sede sua emoveatur, non satis causae inesse nobis videtur in illis verbis: *ubi id audivit.* Quae si ita interpretamur: *unde id audivit?* oportet Dinarchum supina sane aure oscitanter audivisse, quae puella statim de tonstricula narraverat; sed si particulam *ubi* ad tempus referimus, quo significatu ea saepe invenitur, tum apta est adolescentis interrogatio; quippe cuius plurimum interesset fraudem puellae factam non prius manifestam fieri, quam puerum ab ea ablatum

haberet. Imo vero, ut versum istum loco suo retinendum utique censeamus, Plautinum suadet ingenium, cui in more est, personis ex improviso congressis et inter se tacite agnoscentibus sententias ἐκ παραλλήλου tribuere. Respondent autem sibi mutuo: *quam penes est mea omnis res et liberi*, et illa: *qui iam tutorem me optavit suis bonis.* Sed in eo quoque desideramus Acidalii acumen, quod ille in quarto versu interposita voce *esse* usitatam Plauto in fine secundae dipodiae caesuram, pariter atque in sexto versu fecerat, sustulit, facile tuendam illam, si vocabulum *mihi* ante *dixit* inserimus. Postremo in septimo versu bene quidem vidit legendum esse *ad te sum profectus*, sed non vidit, in sequenti diverbio personarum ordinem haud dubie esse confusum, et exitum septimi versus blandienti iuveni, octavum autem iratae puellae melius convenire. Censemus igitur totum locum a Plauto ita esse editum:

Ea mihi dixit, eum Dinarchi puerum inventum filium.
Din. *Ubi id audivit, quam penes est mea omnis res et liberi?*
Ph. *Video eccum, qui iam tutorem me optavit suis bonis.*
Din. *Mulier ad te sum profectus; quid agitur voluptas mea?*
Ph. *Non voluptas, aufer nugas, nihil ego nunc de istac re ago.*
Scio mecastor quid velis, quid postules et quid petas.
Me videre vis, et amari postulas? puerum petis.

Quae sic verto:

Diese sagte, es wäre der Knabe für den Sohn Dinarchs erkannt.
Din. *Wenn erfuhr das die, die all' mein Gut und Kinder in Händen hat?*
Ph. *Da ist der, der zum Beschützer seiner Güter mich erwählt.*

Din. *Mädchen, dir bin ich nachgegangen: nun was machst du, liebes Kind!*

Ph. *Nicht Kind, das sind Possen, damit hab' ich jetzo nichts zu thun.*

Gar wohl weiss ich, was du willst, was du verlangst, und was du suchst.

Mich willst du? verlangst geliebt zu werden? Nein, du suchst das Kind.

XIX.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

UNDECIMUM.

QUID DIFFERAT INTER VOCES DIMIDIATUS, DIMIDIUM ET DIMIDIUS.

PER OCCASIONEM LOCORUM PLAUTINORUM

Menaech. Act. I. sc. II. v. 45. *Mil. Act. III. sc. I. v.* 167. *Bacch. Act. V. sc. II. v.* 67. *Aulul. Act. II. sc. IV. v.* 12.

DOCETUR.

M. Terentium Varronem, latinae linguae censorem gravissimum, Aulus Gellius in Noctt. Att. libro III. c. 14. refert disserere et dividere subtilissime, quid dimidium dimidiato intersit, sed eundem tamen subobscure illud discrimen explicare. Quam obscuritatem ut a disputatione Varronis dispellat, summam eius hanc esse dicit: „Dimidiatum est quasi dismediatum et in partes duas divisum. Dimidiatum ergo nisi ipsum, quod divisum est, dici haud convenit. Dimidium vero est non quod ipsum dimidiatum est, sed quae ex dimidiato pars altera est.“ Fueritne haec vera et sola discriminis horum vocabulorum a Varrone facti ratio, sit fides penes auctorem. Nos quidem, quod dat ille, accipimus, sed ea conditione, ut laborem a Gellio inchoatum, neutiquam

14 *

vero profligatum, exsequi nobis liceat. Nam quia ille paucis exemplis defungi posse speravit, causas vero istius differentiae exponere neglexit, nec certam nobis atque talem regulam exhibuit, qua quovis loco atque tempore illorum vocabulorum usum facile ac certo indicare possimus, eiusdem obscuritatis, cuius Varronem reum egit, accusandus videtur. Elucet hoc vel ex eo exemplo, quod cum Varrone commune babet. Is enim male et vitiose dici existimavit: *dimidium librum legi*, aut *dimidiam fabulam audivi*. Ita dicentem ideo peccare ait Gellius, quoniam totum ipsum, quod dimidiatum atque divisum est, dimidium dicas. Sed unde sciebat bonus grammaticus, eum, qui dimidium librum legisse se dicat, intelligere dimidiatum, neque vero alteram partem, quam dimidiam vocari debere ipse pronunciat? Qua vero occasione laudat Lucilium, quod non dixerit *hora dimidia*, sed *horae dimidio*, manifesto indicat, statuere se discrimen inter vocabula *dimidium*, ut substantivum usurpatum, et *dimidius*, quod vim adiectivi habet; adeoque trifariam dispertit illam dicendi rationem, quam tamen, Varronis auctoritatem secutus, bifariam distribuendam esse dixerat. Quo modo vero *dimidium* et *dimidius* differant, ne verbo quidem a Gellio ostenditur, ut neutiquam, quod ille contendit, appareat, ne *horam* quidem *dimidiam* recte dici. Aeque neglecta est accurata iudicatio reliquorum exemplorum, quae inferius recensebimus. Nunc rem ordine et enucleate disputabimus.

A principio autem tenendus est duplex verbi *dimidiare* usus. Alter est linguae ingenio plane consentaneus, quo dimidiare significat totum aliquod in medio ita disiungere, ut duae inde aequales partes fiant, quae singulae dimidiae dicuntur, non ita, ut partem denuo divisam intelligamus, sed quo modo alteram vel tertiam vel quartam partem magnitudine singulis parem nuncupamus. Cui significationi convenienter Lucilius: *Uno oculo*, inquit, *pedibusque duobus dimidiatus ut porcus;* et alio loco: *Quidni? et scruta quidem ut vendat scrutarius laudat praefractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.* Alter vero usus verbi *dimidiare* a propria significatione

recedit, cum latini sermonis auctores, ubi dimidia parte aliquid factum esse indicare vellent, id toti dimidiatae rei accidisse dicerent. Unde oritur ambiguitas, perspicuitati saepe illa quidem adversa. Merito enim dubitaveris, utrum ei, qui te dimidiatum panem sibi praebere iusserit, totum quidem panem, sed in medio dissectum, an alteram tantum partem eius offerre debeas. Licet autem insolens et abhorrens a cetera linguae consuetudine illa dicendi ratio sit, et vate opus habeat coniectore, cur Romani ita loqui animum induxerint; tamen oportet nos, qui latino ore et eleganter dicere volumus, imitari optimorum auctorum morem, neque prae nimio intelligendi fastidio movere limites, quibus illi, ut agrimensores agrorum fines, sic vocabulorum significationes terminarunt. Nam ista, de qua quaeritur, vocabuli vis ideo probe observanda est, quoniam facile potest accidere, ut dimidiatum cum dimidio et re dimidia confundas; quae vocabula probi scriptores tenuissimo discrimine distincta esse voluerunt. Cuius quidem discriminis causam, non magis grammaticis rationibus suffultam, quam a coeco quodam arbitrio profectam, repetendam esse ex necessitate accurate et praecise loquendi, nemini non patere arbitramur, qui sciat, partem aliquam dimidiam varie posse accipi: ut cum quis tibi dimidium scyphum aureum promittat, incertus sis, utrum alteram fracti poculi partem, an auri dimidium pretium, an commune tantum possidendi ius ab eo accepturus sis; cuiusmodi dubitationem studiose caveri ad res et clare intelligendas et recte gerendas plurimum interest.

Videtur autem nobis omnis in eo genere loquendi diversitas derivanda esse a loci diversitate, ex quo is, qui loquitur, totum aliquod cum suis partibus spectat et considerat. Oportet enim nos, cum trium istorum vocabulorum aliquo uti volumus, utrumque pariter et totum et partes spectare; quandoquidem subiectae illis vocabulis notiones sunt ex earum genere, quae ad se referuntur, nec nisi e mutua comparatione intelliguntur, ita quidem, ut totum sine partibus, partes sine toto cogitari nequeant. Quare ubi aliquid in duas aequales partes divisum cogitamus, animus

ad tria attendendus est, ad totum ipsum, ad partem de qua agitur, et ad partem de qua non agitur. Iam totum cogitamus vel qua totum est, vel qua totum fuit, vel qua totum nec est, nec fuit, sed fieri tamen possit. Pars de qua quaeritur semper ad totum refertur ita, ut vel cum toto adhuc cohaereat, vel ab eo iam separata sit, vel in totum possit abire et ad perfectae rei integritatem quasi adolescere. Pars quae tacetur non refertur ad totum, sed ad alteram partem, a qua ita distinguitur, ut ab ea differat vel ratione modi, quo aliud ei, quam alteri accidat: vel ratione numeri, cum non sit una eademque, sed altera et aequalis pars: vel ratione naturae, quam altera pars aut nullam habet, aut alius generis. Rem igitur, quae respectu totius ac binarum partium est e primo, quem fecimus, ordine, appellamus dimidiatam, e secundo dimidium, e tertio dimidiam. Itaque dimidiatam rem dicimus integram, sed mox aut cogitatione aut re sic dividendam, ut diversis partibus contraria eveniant. Dimidium rei dicitur alterutra pars totius, quod iam divisum est, cuius partes magnitudine aequales, diversae numero sunt. Dimidia res ea est, quam integram mente quidem concipere, re ipsa sensibus percipere non licet, et cuius pars altera aut omnino non nata, aut dissimilis cum altera naturae est. Denique haec quoque istorum vocabulorum differentia memorabilis videtur, quod eius rei, quae integra est, dimidia pars iudicatur ante divisionem e mensura totius: quae integra fuit, eius mensura agnoscitur post divisionem ex parte alterutra: quae integra nec est, nec fuit, eius dimidiam aliquam partem esse plerumque sumere tantum, nonnunquam ex comparatione cum toto simili coniicere licet.

Quodsi igitur ad hanc rerum dividendarum divisarumve variam rationem mentis aciem direxerimus, inveniemus normam ac regulam, ad quam veterum scriptorum elegantiam in dicendo exigere, aliorum negligentiam castigare, nostrumque latini sermonis*) usum conformare

*) Nam Graeci dicunt promiscue eodem sensu modo *τὰ ἅρματα τὰ ἡμίσεα*, modo *τῶν ἁρμάτων τὰ ἡμίσεα*, modo *τὸ ἥμισυ τῶν ἁρμάτων*. Id quod Latinis non licet, cfr. Hoogev. ad Viger. III. 5, 7.

debeamus. Ad quod negotium, Varrone et Gellio auctoribus rite subeundum, muniamus nobis viam claro et illustri exemplo hoc: Dimidius homo dicendus est Centaurus et Anubis ambiguus, eodem modo, quo dimidia animalia, ab Ovidio sic descripta: *eodem in corpore saepe altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.* Dimidium hominis miles est truncato corpore, cuius femora bellico tormento contrita et abscisa sunt. Dimidiatus homo est is, qui, ut Cato de Carthaginiensibus scripsit, in terram, ad umbilicum scilicet, defossus est. Introduxerunt vero Latini hanc quoque consuetudinem, ut res dimidias uno exprimerent vocabulo, ex *semis* et alio nomine composito. Unde fit, ut idem significent dimidius homo et *semihomo*, dimidius pes et *semipes*, dimidius tonus et *semitonium*, multaque alia eiusdem modi nomina.

Sed tempus est exquirere, an iis, quae praecepimus, veterum scriptorum usus belle respondeat. Initium a Varronianis exemplis faciamus. *Oportet*, inquit ille, *dicere dimidiatum librum, non dimidium, et dimidiatam fabulam, non dimidiam.* Causam huius legis quae supra diximus declarant. Nam si quis, qui perspicue loquitur, audivisse sese narrat fabulam, quae integra in scena docebatur, ut Poenulum vel Andriam, cuius alteram partem, ab histrionibus peractam, quo minus audiret, aliqua causa prohibitus fuit, dicendum ei est: *audivi dimidiatam fabulam.* (*Ich habe das Theaterstück bis zur Hälfte gehört*). Si de fabula loquitur, quam ad finem ab actoribus continuari impedierat aut incendium, aut tumultus, aut alius casus, dicendum est: *dimidium fabulae audivi.* (*Ich habe die oder eine Hälfte des Theaterstücks gehört*). Quodsi diceret, se *dimidiam audivisse fabulam*, (*Er habe ein halbes Theaterstück gehört*) indicaret, fabulam istam a poeta non fuisse perfectam, eamque dimidiam esse partem non aliter, quam e coniectura, aut ex ore ipsius poetae sciret. Idem valet de altero exemplo: *dimidium librum legi.* cum enim dico legisse me *dimidiatam Aeneidem*, integrum potueram carmen legere, sed non legi, quia vel

non libuit, vel non licuit. Cum dico: *dimidium legi Aeneidos*, non fuit mihi copia sex reliquorum librorum. *Dimidiam* vero *Aeneidem* nunc nemo potest legere, quoniam opus absolutum extat; amici autem Virgilii tum temporis legerunt, cum sex tantum priores libri a poeta, qui duodecim promiserat, elaborati essent.

Alia proponuntur exempla haec: *Contra autem si sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est: et qui ex mille nummum, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepisse dicemus, sed dimidium.* De utroque verissime Varro iudicavit. Quod ad prius adtinet, inest in eo aliqua sermonis ambiguitas, et sane quam interest, utrum *sextario* tertius an sextus sit casus, et *fusa est* ponatur pro *affusa* an pro *effusa.* Nam si *sextario fusa* hemina idem valet, quod *sextario affusa*, quae Varronis voluntas fuisse videtur, spectatur hemina ut totum per se, non ut pars sextarii, ideoque non potest dici dimidiatus sextarius. Contra si *fusa* pro *effusa* accipitur, nihil causae est, cur dimidiatus sextarius fusus esse dici nequeat. Eodem modo Varronem de posteriori decuit statuere. Nam ex mille nummum quingentos non potest aliquis recepisse, nisi iam facta totius summae divisione, cuius soluta pars non pertinet amplius ad integrum debitum, eaque de causa non debet dici dimidiatum, sed dimidium sc. nummum.

Transeamus ad sequentia. *At si scyphus*, inquit Varro, *argenteus, mihi cum aliquo communis, in duas partes disiectus* (forsitan scripsit *dissectus*) *sit, dimidiatum eum dicere scyphum debeo, non dimidium.* Recte sane. Dimidiatus enim hic proprio significatu ponitur, et idem est, quasi divisus. Dimidius autem scyphus significaret ab artifice non perfectum scyphum. Eodem redit alterum illud: *Argenti autem, quod in eo scypho inest, dimidium meum esse, non dimidiatum.* Nam si alia pars mea, alia alterius dicitur, iam factam divisionem, animo saltem, oportet, ideoque dimidium argenti recte dicitur, non dimidiatum, neque vero etiam, ut regius habet codex, dimidium argentum, quod argentum est

cupro, plumbo, aut alio metallo ad partem dimidiam adulteratum.

Claudit agmen exemplorum Varronianorum illud Ennianum: *Siculi si quis ferat vas vini dimidiatum.* Quod quidem poetam scienter in annalibus dixisse ait. Vas enim vini hic ipsum est vinum vase definitae mensurae, ut amphora, conditum, cuius pars antequam ferretur e pleno defundenda erat. Partem autem, quae desit ei vasi, dimidiam dicendam esse recte monetur, quandoquidem dimidia pars et dimidium idem significant. Ita Cicero (Tusc. Quaest. II. 16.) *Romanos* ait *milites ferre plus dimidiati mensis cibaria*, per enallagen ille quidem, pro *dimidiata mensis cibaria*, sed rectissime. Nam oneris illius a militibus ferendi pondus aestimatur e mensura totius frumenti, quod milites accipiebant in singulos menses. Quidquid autem e toto aestimatur dimidium, id dimidiatum necessario dicendum est. Quod vero in rerum natura unum certaeque mensurae totum non est, ut obsonium vel aurum simpliciter dictum, eius altera pars vocari debet dimidium. Ex quo intelligitur, cur Plautus in Aulularia II. 4, 12 et Bacchidibus V. 2, 67. eam dicendi rationem retinuerit. Duos, quos deinde affert Gellius, locos Lucilianos superius tetigimus; tertius uberiori eget explicatione. Pergit enim ita: *Iam in vicesimo manifestius dimidiam horam dicere studiose fugit: sed pro dimidia, dimidium ponit in hisce versibus:*

Tempestate sua atque eodem uno tempore et horae
Dimidio, et tribus confectis duntaxat eamdem
Et quartam.

Nam quum obvium proximumque esset dicere: et hora dimidia tribus confectis: vigilate atque attente verbum non probum mutavit. Ex hoc loco satis apparere Gellius ait, ne *horam* quidem *dimidiam* recte dici, sed vel *dimidiatam horam*, vel *dimidiam partem horae.* Hoc verum esse postulat grammaticus, non docet. Itaque nos vice eius fungamur. Nempe cum hora pars temporis sit, uno quasi tenore currentis et definita spatia certis intervallis necessario absolventis, fieri non potest, ut aliquando

hora non fiat. Ergo repugnat dimidiam esse horam, cum dimidia res ea sit, quae integra nec est, nec fuit, quanquam, si ita fert, fieri potest. Dimidium autem horae recte dicimus, quoniam horam licet bifariam dividere, cuius altera pars ab altera animo, aut re separata, dimidium vocandum est. Potest etiam dimidiata hora appellari, quando utramque partem respicimus, sed de alterutra contraria praedicamus. Quam quidem dicendi normam Plautus observavit in Menaechmis in hoc versu: *Dies quidem iam ad umbilicum dimidiatus mortuus est*; quibus verbis per facetam metaphoram diei tribuit, quod proprium est hominibus, quos alio in loco (Mil. Glor. III. 1, 167.) *dimidiatos* ait *procumbere*. (*Sie legen sich mit dem halben Leibe über den Tisch*). Quippe in oculis habet illic parasitus utramque diei partem h. e. totum atque continuum diem, cuius altera pars incoenato perierat, altera vino et epulis componenda restabat. Quemadmodum Cicero in Verr. II. 52. scripsit: *Eximi iubet ex anno unum dimidiatumque mensem*; quoniam altera mensis pars non exemta, sed anno relicta fuit. Idem Tullius eleganter dicit in Tusc. Qu. V. 23. *Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere.* Nam si scripsisset *dimidiis versiculis*, intelligeremus versus, quorum singulorum numeros poeta imperfectos reliquisset; sin dixisset *dimidio versiculorum*, cogitanda esset altera carminis sive prior, sive posterior, pars exesa. Sed cum dixerit dimidiatos versiculos, significare voluit, versus fuisse olim integros, sed unumquemque iniuria tempestatis et annorum longinquitate ad dimidiam fere partem posteriorem deletos.

Illustrat Gellius vocabulorum saepe dictorum discrepantiam alio exemplo, e Catonis libro, quem ille de agricultura scripsit, repetito: *Semen cupressi serito crebrum, ita uti linum seri solet. Eo cribro terram insternito, dimidiatum digitum. Iam id bene tabula, aut pedibus, aut manibus complanato.* De quo haec est Gellii sententia: „*Dimidiatum* autem, inquit, *digitum*, non *dimidium*. Nam digiti quidem *dimidium*,

digitum autem ipsum *dimidiatum* dici oportet." Scite sane et perite. Metitur enim agricola terrae instratae altitudinem non absciso, sed integro digito, usque ad medium terrae immerso. Forsitan istarum locutionum diversam vim clarius perspexeris, si cogitaveris medicum immedicabile vulnus ense recidentem. Is amputat aegroto aut dimidiatum digitum, ut sana pars ulcerosae et cariosae contermina servetur: aut dimidium digiti, cuius altera pars iam alio casu antea perierat: aut denique dimidium digitum, qui iustam magnitudinem nunquam adeptus et truncus natus est.

Supersedemus pluribus exemplis, quae multa et in libris antiquis leguntur, et fingi facile possunt, illustrare dicendi genus admodum implicitum et absconditum, sed satis, ut putamus, a nobis expeditum, atque optimorum latini sermonis scriptorum auctoritate ita stabilitum, ut recte Gellius statuere videatur, neminem omnium, qui probe locuti sint, illis verbis secus fuisse usum. In quibus enim locis illud discrimen non observatum videtur, ii vel scriptorum sunt, stilum non ex amussim exercentium: quemadmodum Terentius a Caesare, Suetonio auctore, (vel quicunque alius istam scripsit vitam) dimidiatus Menander vocatus esse perhibetur, cum dimidius appellandus fuerit, quippe cuius ingenium non ad eam absolutionem pervenerat, ut Menandrum exaequaret: vel culpa interpretum in dubium et suspicionem erroris vocati sunt. Quam iniuriam Forcellinus fecit Plinio, qui exacte locutus est, cum dimidias clepsydras et dimidiam circuli formam dixit. Dimidia enim clepsydra est aqua ad medium usque vasculo, quo dicendi tempus oratoribus definiebatur, infusa. Dimidium clepsydrae est aquae inter duos oratores iam divisae pars altera. Dimidiata vero clepsydra est aqua pleni vasculi inter duos aequaliter dividenda. Hinc intelligitur, quam vana atque adeo paene ridicula sit causa, cur Agraetius grammaticus dicat: *dimidiatum calicem bibi, non dimidium dicere debemus. Non enim ipse* (l. ipsum) *vas bibis, sed quod intra vas est.* Videlicet nodum in scirpo quaerebat oblitus ille vulgaris dicendi consuetudinis, qua id quod continetur, significatur

eo, quod continet. Nesciebat vero etiam utrumque dici posse, ita scilicet, ut is, qui dimidiatum bibat calicem, e pleno bibat: qui vero dimidium calicem bibat ei non sit plus bibendi copia. Non minus bene Plinius dixit *dimidiam circuli formam*. Nam ubi geometra medium circulum recta distinxit linea, dimidiatus circulus est: ubi spongia delevit integri circuli partem dimidiam, dimidium restat circuli: ubi circino designavit non plus quam dimidiam orbis partem, dimidius repraesentatur circulus, sive dimidia circuli forma.

XX.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DUODECIMUM.

(AD ILLUSTREM VOLKMANNUM, POST SUSCEPTUM SCHOLAE THOMANAE PRAESIDIUM, SCRIPTUM DIE IV. SEPTEMBR. MDCCCXXIII.)

PLANTARUM HORTI PLAUTINI

PRIMA SERIES.

Herba solstitialis.

PSEUDOL. I. 1, 35. 36.

Quasi solstitialis herba paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.

Vitae humanae brevitatem ab imprudenti vulgo aeque ac sapientibus viris cum multis aliis rebus tum herbis maxime et graminibus, quae in exiguum aevi gignuntur, comparari usitatum est; quod illi quidem ideo faciunt, ut speciosam habeant aetatis inutiliter transactae excusationem, hi vero eam sequuntur rationem, ut ad rectum angusti vitae temporis usum alios exhortentur. Etsi vero horum causa longe sit honestior, tamen dubitare

licet, utrum vitae humanae spatium omnino breve dici possit, si ad exsequenda naturae officia, non ad improbas spes et immensa libidinum consilia respiciatur. Sed haec philosophi viderint. Nos quidem cum vulgo et poetis cum eo sentientibus brevem esse vitam sumimus, et id nunc maxime agendum putamus, ut illius comparationis cum herbis et graminibus, aetatis nostrae, ut Ovidius loquitur, imitamina peragentibus, veritatem vindicemus. Est autem inter plantas similiter atque inter homines ut ceterarum virium ita vivendi quoque facultatis maxima discrepantia. Aliae enim, veluti arborum quaedam et muscorum genera, longissimam hominum aetatem non aequant solum, sed mirum quantum excedunt, constantique virore vitae perpetuitatem potius quam fugam repraesentant: aliae excussis hieme frondibus mori quidem videntur, sed vi vitali in stipite et radicibus servata novo vere nova amoenitate effrondescunt: aliarum vita iisdem terminis, quibus solis cursus annalis includitur, quo ad summa coeli templa propius accedente nascuntur illae quidem, sed ad brumale signum decedente pereunt: aliis denique eam esse naturam videmus, ut vix ultra mensem vigeant, atque adeo non plus unum alterumve diem floreant. Hoc igitur aetatis quam durarent plantae respectu in duas praecipuas classes divisae sunt, quarum altera perennes, annales altera comprehendit. Ad quod postremum genus cum eae plantae, quas herbas vocare solemus, referantur, apparet, cur ex his potissimum similitudinem cum homine ducerent, qui vitae brevitatem illustri aliqua imagine declaratam vellent. Id quod non solum ex egregiis illis sacrorum librorum locis, e II. Regg. 19, 26. Iob. 14, 2. Psalm. 102, 12. 103, 15. Iesa. 40, 6. I. Petr. 1, 24. et maxime e Psalm. 90, 6. Iacob. 1, 11. elucet; verum etiam profanorum scriptorum, ut Ovid. Trist. V. 8, 19. Iuvenal. 9, 126. consuetudine comprobatur. Vulgarem igitur vitae humanae imaginem Plautus in loco proposito exhibuit, a nemine non primo et uno oculorum ictu pervidendam, nisi id ipsum, quo illustrari voluit sententiam, caliginem aliquam legentium animis offunderet. Quod enim herbam, quacum adolescentis

praecipitem vitam comparat, solstitialem appellat, eo interpretum impedivit iudicium, iisque dubium reddidit, utrum eo nomine singularem certamque herbarum speciem, an communem toti generi naturam significare voluerit. Multi igitur interpretes moti nimio rerum novarum et arcanarum studio, quod acutissimos quosque viros propter magnam ingenii exercitationem et commendationem eo saepe impellit, ut superflua potius quam necessaria quaerant, a poeta significari censuerunt herbam aliquam, quae proprio hoc cognomine a ceteris quasi peculiari nota distingueretur. Sed falsa opinione decepti, quod tenebant, ut canis ille Aesopius, dimiserunt, quod appetebant non attigerunt, et nodum aliis molestum nexuerunt, ut haberent, quod soli cum voluptate solverent. In tota enim antiquitate nullum apparet vestigium herbae illo nomine ita simpliciter inscriptae, ut a cetero grege facile discerneres et talem agnosceres, quae prae aliis caduca esset. Nam duae illae, quae a veteribus scriptoribus commemorantur, *solstitiales* plantae proprio ac suo gaudent nomine, nec nimia vitae *brevitate* insignes sunt. Etsi enim dubium est, quid sit illud, quod Columella II. 18. *spinam solstitialem* vocavit, utrum aculeata frutex aliqua an herba spinosa, cuiusmodi stirpium multae species sunt; tamen hoc nihil ad Plautum pertinere, vel ex eo liquet, quod omnia spinarum genera fortia et laeta et gravida fructu consurgunt, nec brevi momento et sponte sua facile pereunt, sed assidua hominum cura et labore e pratis et agris evelluntur et exstirpantur. *Condurdum* autem illud a Plinio herbae solstitialis nomine insignitum, XXVI. 5. qui pro Plautina illa herba oggerunt, ii manum nobis adire, exhibere nihil videntur, cum ex incerto, quod quaerimus, faciant nobis incertius. Dubitamus enim an Sprengelius (in libro, quem historiam botanices inscripsit, P. I. p. 168.) omnibus rei herbariae peritis certo persuaserit, *condurdum* eandem esse plantam, quam Linnaeus *saponariam vaccariam* appellavit. Multoque magis dubium, imo incredibile est, eiusmodi herbam, quae non prae aliis caduca est, sed a mense Maio ad Septembrem usque floret (v. Geoffroy materia

medica T. V. p. 82.), Plauto inprimis idoneam fuisse visam, quae in brevissimae vitae cogitationem facile ac necessario adduceret. Quid ergo est? Ambitiosa multorum diligentia veritati saepe infensa fuit, fecitque ut, dum Lynceo perspicaciores esse vellent, prae lignis lucum non viderent. Nam qui latine sciunt, norunt quidem omnes, solstitium non solum id dici tempus, quo sol aestate sistere videtur, hibernum enim brumam vocant, nec ea tantum tempora, quae longissimae totius anni diei et brevissimae nocti proxima sunt; sed totum etiam illud spatium, quod sol a verno aequinoctio ad autumnale percurrere videtur, hoc est aestatem, quam prisca aetas in iudicando et dicendo minus subtilis alteram totius anni partem faciebat. *Solstitiale* igitur idem quod *aestivum* significat, et *solstitialis herba* non alia quam *aestiva* est.

Hem tibi hominem Prodico doctiorem, qui non invenit, quod pueri in faba, cum herbas aestate potius quam hieme florere intellexerit! Bona verba quaeso! Noli inclementer dicere et cum verborum proprietate tollere quoque rerum discrimina! Aliud enim virere et florere, aliud vigere et vivere significat. Virere herbae solis beneficio et aestivo calore destitutae nullae possunt, vigere etiam summa hieme in terra horrido gelu constricta multae possunt. Quae quidem causa fuit, cur duas facerent naturalium rerum periti herbarum classes, aliarum, quae intra unius aestatis fines terminatam haberent vitam, aliarum, quae diutius durarent; quas posteriores, qui subtilius discernunt, in biennes, triennes et multas porro alias dividunt. Has usu receptum est *perennes* dicere, illas, quas nostrates ambiguo vocabulo *annuas* (quod quidem vocabulum idem saepe valet, quod *anniversarius*) appellant, Romani *anniculas* dixerunt (Plin. XIX. 5.), easdemque nisi fallor *aestivas s. solstitiales* intellexerunt. Quemadmodum igitur *spinam solstitialem* et *condurdum solstitiale* ad id herbarum genus referenda existimo, quod unam tantum aestatem vivit, ac nullam habet perpetuitatem, nisi in seminibus; ita *herbam solstitialem* Plautus non unam aliquam proprio

nomine signatam, sed quamlibet intellexisse mihi videtur, cuius tota vita solstitiali circulo terminatur. Cuius generis herbae quoniam roboris expertes et insolidae videntur, si cum aliis longioris aevi comparantur, pro apto et claro brevis vitae simulacro merito habendae sunt*).

Farferum.

POENULUS ACT. II. v. 31—33.

— — — *viscum legioni dedi,*
Fundasque: eo praesternebant folia farferi.
Ly. *Quoi rei?* An. *ne ad fundas viscus adhaeresceret.*

Si eo, quem tractavimus loco, volupe fuisset Plauto hominem, qui brevem vitam colat, comparare cum herba aliqua prae aliis caduca, non erat ea procul et aliunde illi anquirenda, cuius domi nascebatur farferum, quod, si idem est cum bechio seu tussilagine, caulem habet atque flores fugacissimos, quippe qui intra biduum oriri et perire perhibentur (vid. Matthioli, discorsi ne i sei libri di Dioscoride. Venetiis 1559. p. 457. et Bauhinus in historia plantarum uniuersali. Ebroduni 1651. T. III.

---

*) Multo postquam haec scripseramus, invenimus in *Miscellaneorum Lipsiensium* Tomo primo, anno 1716 edito, *Sigismundi Schmiederi de Herba et Morbo solstitiali* dissertationem, in qua post alias aliorum opiniones, qui certam aliquam herbam significari existimaverint, profertur *Coelii Rhodigini* sententia in Lectionibus Antiquis l. XXIX. c. 4. his verbis concepta: *Probabilius est, Plautum universim herbas intellexisse vel flores, uno tantum perseverantes die, aut spatio prorsus minimo.* Etsi vero hanc sententiam, nostrae simillimam, omnium verissimam dicat Schmiederus, tamen non possumus ei pro honorifico isto iudicio, ad nos quoque pertinente, eam referre gratiam, ut *morbum solstitialem* apud Plautum in Trinummo II. 4, 143. eodem sensu accipiendum esse credamus. In hoc enim loco sermo est de agro pestilenti, in quo nec arbores nec animalia recte vigeant diuque vivant, ipsique adeo homines praevalido corpore praediti non ultra sex menses durare possint, ob morbum solstitialem; qui haud dubie ita vocatur, quod solstitio grassabatur, non propterea, quod cito transibat. Nam morbus non terribilis est, qui celeriter transire solet, sed qui certo atque brevi humanam vitam perimit.

a. pag. 563.), et quoniam ante herbas in vacuam auram emitti solent, effecisse dicuntur, ut ipsorum stirps a veteribus filia ante matrem appellaretur. (vid. *Nemnich Allgemeines Polyglotten-Lexicon der Naturgeschichte*, *vierte Lieferung*. pag. 1516.) Sed farferi eandem esse quam tussilaginis naturam Plauti testimonio comprobari non potest, qui herbae illius naturam ne verbo quidem exponit, sed foliorum tantum mentionem eo consilio iniicit, ut ostendat modum, quo quis lentos visci globulos commode funda proiicere potuerit. Nec alius veteris scriptoris auctoritate constat vulgaris opinionis de utriusque herbae similitudine veritas, quam certo quidem et manifesto argumento nemo probavit, attigisse tamen coniectura ii nobis videntur, qui nixi inconstantia illa, qua eadem vocabula variis locis ac temporibus varie et scribi et pronunciari solent, suspicati sunt, *farferum* s. *farfarum* a *farfano* non re sed sono tantum differre. Plinius enim, qui ansam illi opinioni primus dedisse videtur, *chamaeleucen* latino nomine *farfanum* appellat, eiusque radicem ad sanandam veterem tussim utilem fuisse docet. *Farfanum* autem atque *tussilaginem* diverso nomine eandem rem significare eodem Plinio auctore discimus. Nam is libro XXIV. 15. *Chamaeleucen*, ait, *apud nos farfanum sive farfugium vocant;* et alio loco XXVI. 6. ubi *bechion* dici etiam *tussilaginem* docuit, ita pergit: *quidam eandem esse bechion et alio nomine chamaeleucen putant.* E quibus verbis argumentum, quo rei dubiae fides fit, recta ratione concluditur. Quodsi igitur sumimus *farferum* idem esse quod *farfanum* s. *tussilago* est, crevit in hortis Plautinis herba per orbem terrarum late dispersa, et ab iis, qui medicinam faciunt, non Plinii solum aetate, sed nostris quoque temporibus ad tussim, quod nomen eius vulgare sonat, sanandam usurpata. Sed quod medicorum est, tractent medici. Nos solum usum inquirimus, quem illius herbae folia, teste Plauto, ad viscosa corpuscula e fundis iaculatorum mittenda attulisse videntur. Huic enim ministerio aptissima oportet esse farferi folia, nisi poetam aut nescio quas nugas fecisse, aut absque idonea causa pro qualibet

alia herba farferum posuisse velimus. Sed bene habet Plauti iudicium. Sunt enim tussilaginis folia prae aliis hirsuta et lanuginosa, eaque re ad operam funditoribus in eo, quod a Plauto describitur, munere fungendo praestandam maxime accommodata. Instrata enim fundae illa non solum impediebant, quo minus visci globuli fundae adhaerescerent, quod multis aliis rebus aeque prohiberi poterat, sed simul id efficiebant, ut globuli illi in ipso iaculandi conamine et impetu a foliis illis, quorum capillamentis leviter suspensi erant, per aërem facile liberari et absque alieno involucro rei, quam attingerent, firmiter agglutinari possent. Atque haec quidem ad Plauti interpretationem satis erunt. Eorum autem gratia, qui veram vocabulorum scripturam diligentius expiscantur, monendum est, recentiorum temporum herbarios, qui eandem herbam *farfariam* et *farfaram* dicunt, a vetere sermonis consuetudine recedere. Plinius enim *farfanum* et *farfugium* appellat, Festus autem, si sana lectio est, *farfenum* scribit. Atque hic quidem grammaticus non censendus est aliam stirpem cogitasse, quia farfenum virgulti genus dixit. Etsi enim variis de causis perdifficile est, explicatam habere plantarum veteribus notarum scientiam, praesertim cum illi in discernendis stirpibus nec satis adtenderent ad flores, quos in probandis iis nunc maxime spectare solemus, nec omnino tantam, quantam nos, haberent diversorum generum notitiam; tamen certum atque exploratum est, inter varia tussilaginis genera duo praecipue vulgaria et specie inveniri admodum diversa, alterum humilibus et in terram vergentibus foliis ex uno caule unum emittens florem, alterum praegrandibus foliis iuxta terram fruticis modo se spargentibus, inque thyrsum multorum florum fastigiatis. Illam nunc *tussilaginem farfaram*, hanc *tussilaginem petasiten* vocamus. Quam posteriorem suspicari libet a Festo, in re herbaria non ultra suum seculum sapiente, propter similitudinem cum frutice inter virgulta fuisse numeratam.

Quod autem ad nomen farfari attinet, videtur mihi illud a Farfaro Sabinorum fluvio, hodie Farfa dicto,

originem duxisse, in cuius ripis herbae illius laetus forsitan erat proventus, quippe quae humido solo ita familiaris est, ut Plinius XXVI. 6. id signum aquarum sub terra latentium aquileges habuisse dicat. Idem mecum sensisse arbitror Servium, qui ad Virgilium Aeneid. VII. v. 715. haec notavit: *Fabarim autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit et Farfarus dicitur;* additque locum illum e Poenulo utcunque et memoriter, non e scripto accurate pronunciatum, non ignarus discriminis, quod fluvium atque herbam intercedit, cuius erroris a Turnebo Advers. XV. 7. immerito accusatur, sed ut diversarum rerum commune cognomen a communitate locorum derivandum sibi videri tacite et breviter significaret. Ceterum ut in transitu dicam, quid ego de Lipsio sentiam, qui (Epistolic. Quaest. II. 22.) Appuleio vocabulum *farferum* sine ullius libri auctoritate vindicare cupit, contendens illud per correctores ex sede sua eiectum, inque loco illo Metam. I. p. 38. ed. Oudendorp. *folia sunt artis et nugae merae*, pro *artis* reponendum esse *farferi;* eam coniecturam quamvis ingeniosam nimiae audaciae licentiaeque damnaverim, sed eandem cum Elmenhorstio ineptissimam non vocaverim.

Peniculus tectorius.

MILES GLOR. I. 1. 17, 18.

Quoius tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut peniculum tectorium.

Hortos Plautinos non ridere solum amoenissimorum florum coloribus, sed horrere etiam cannis atque arundinibus, nemo rei rusticae peritus mirabitur, qui norit utilitatem fossarum circa fundos sepimenti loco ductarum, (Varro de R. R. I. 14.) et piscinarum in ipsis adeo hortis constructarum, ut inde per aestivos ardores rigentur. (Palladius I. 34.) In eiusmodi locis sponte nascuntur arundines, cum alia commoda tum hoc potissimum rusticis afferentes, ut hoc quasi vallo contra hominum pecorumve incursiones utantur (v. auctor Moreti v. 61. *Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca et calamo*

redimita levi munibat arundo), et levem habeant ac vilem materiam, qua in subitos usus aediculas et *ὀπωροφυλάκια* exstruere, et domuum quoque tecta operire possint. Ea de causa servus apud Plautum Rud. I. 2, 34. herum suum senilem et intempestive multiloquum ita increpat: *Quin tu in paludem is exsicasque arundines, qui pertegamus villam, dum sudum est.* Huic autem rei non omnes arundines aeque aptae reperiuntur, sed eae maxime, quae crassiorem in cacumine comam habent, aedibus ab imbrium et ventorum iniuria defendendis satis idoneam. Hanc arundinis comam Plinius appellat *paniculam s. panniculam.* XVIII. 36., Plautus vero in loco supra exscripto *peniculum tectorium.* E qua nominum diversitate orta est inter eruditos de vera huius vocabuli forma dissensio, quorum plerique, neglecto omnium meliorum codicum et editionum consensu, secuti auctoritatem Turnebi in Advers. II. 28., refingendum esse Plautinum locum ad Plinianam scripturam censuerunt. Cui quidem sententiae nos, quibus utrumque vocabulum *panicula* et *peniculus* ab una derivari origine et idem valere persuasum est, adstipulari nullo modo possumus. Graeca enim vocabula *πήνη*, *πῆνος* et *πηνίον filum* s. *licium* significant; inde Latini fecerunt *panus* s. *pannus*, multorum filorum contextum, et *penes*, cauda pilis obsita. A panno formatur *panniculа*, a pene *peniculus.* Quae ambo vocabula ad multas res, quae aut texto filorum vel pilorum constarent, aut ei similes essent, translata sunt. Itaque extrema arundinum pars, quae ut innumerae aliae res non propria appellatione, sed nomine aliunde commodato, ab aliis *pannicula* vocabatur, ab aliis eodem iure poterat *peniculus* appellari. Nec ulla ratione demonstrari potest, duo ista vocabula aliter quam in literis variare. Quid? quod manifesta exempla eundem confirmant utriusque nominis intellectum, et unius pro altero positionem. Caudam enim ferinam, qua veteres ad detergendas mensas et baxeas, ut nos nunc leporinis, utebantur, Plautus in Menaechm. I. 1, 1. et II. 3, 40. cumque eo Festus *peniculum* appellat; sed cum idem Plautus eundem usum tribuat etiam arundini in Sticho II. 2, 23. his verbis:

Munditias volo fieri. Efferte huc scopas, simulque arundinem, ut operam omnem aranearum perdam et texturam improbem; cui morosi illi grammatici *paniculae* nomen vindicare satagunt: poterat salva sermonis perspicuitate et rei veritate hoc simile munditiarum instrumentum *peniculum* vocare. Quas porro Plinius tegendis domibus inserviisse narrat arundinum *panniculas*, easdem alibi *penicillos* vocat *tectorios.* Nam libro XXVIII. 17. varia affert morborum remedia: et *in ambustis*, ait, *aprinum et suillum fimum inveteratum: setarum ex his e penicillis tectoriis cinis cum adipe tritus.* In quo quidem loco Plinius non ridicule et facete loquens, sed rem agens seriam, haud quaquam potuit penicillum tectorium pro cauda suilla ponere, neque vero etiam absque putida subtilitate penicillorum e porcinis pilis factorum setas tanquam diversas a setis vivis suibus undecunque abscisas et ad laudatum remedium inprimis aptas dicere. Sed intellexisse eum capillamenta arundinum porcinis setis simillima certis mihi argumentis persuasum est, maxime eo, quod idem auctor alias quoque XXIV. 11. arundinum cineres in usitatis antiquae aetati medicamentis numerat. Itaque ego mendosum esse illum Plinii locum arbitror, atque ita emendandum censeo: Setarum ex his *et* s. *vel* e penicillis tectoriis cinis.

Atque hanc emendationem nostram eo confidentius in medium attulimus, quo magis incredibile nobis visum est, Romanos ad lentam illam, inertem et gravem tectorii materiam parietibus inducendam, usos fuisse penicillis, eosque ea de causa nominasse tectorios. Quo cognomine ne illum quidem penicillum a Romanis vocatum invenio, quo in tectorio aliquid pingi potest, licet Turnebus Advers. II. 28. hunc ipsum a Plinio intelligi audacter affirmet, sed non confirmet. Munivisse autem Romanos muros suos et parietes aut gypso aut calce aut luto quoque, eo adhibito instrumento, quod rutrum vocaverunt, e Vitruvio VII. 3. 6. ed. Schneid. et Plinio XXXVI. 23. constat; an vero ad idem opus alio usi sint, id nos iuxta cum ignarissimis scire ingenue profitemur.

Sed ne in contemplandis alienis hortis male curiosi longius exspatiemur, vetat proprio horto adhibenda curatio. In qua ut assiduam diurnamque ponamus operam non solum fides rei publicae obligata severa admonitione iubet, sed fructus etiam cum labore coniunctus incitat et impellit. Cui nostrae in opere faciendo industriae acerrimum admovent stimulum insignia illa incrementa, quae hortum Thomanum e crebra novarum omnis generis stirpium accessione capere videmus, quarum viriditate, coloribus, odoribus et saporum dulcedine nostros animos adeo delinitos omnique voluptate expletos sentimus, ut aureis Hesperidum pomis contra vendere ea bona, si liceret, nollemus; praesertim cum nuperrime ad nos allata herba sit, quae omnium oculos mentesque virtute sua ita advertit, ut pro maximo hortorum nostrorum ornamento summo suo merito habeatur. Ea est Volkmannia, herba, quam nostri demum seculi hortulanis et nosse et admirari licuit, velocitate crescendi, florum nive candidiorum abundantia, plenitudine, magnitudine et fragrantissimo odore praecellens. Quo quidem eximio bonae fortunae munere non solum propter se, sed ea de causa impense gaudemus, quod datum illud nobis in pignus atque argumentum earum virtutum liquido auspicio auguramur, quibus eum virum, cui tradita est tutela et custodia non urbani cuiusdam rusticive horti, sed antiqui bonorum civium seminarii, excellere nostra nunc maxime interest. Nam vir illustris Iohannes Guilielmus Volkmannus, quem senatui urbis amplissimo praeficere summae rei Thomanae placuit, cognominis sibi floris virtutes omnes atque singulas iam dudum animo suo tam penitus comprehendit, inque tota vita cum publica tum privata tam religiose coluit, ut omnis spei, de ingenio animoque eius merito concipiendae, nobis in ipso muneris aditu gratiam fecerit, et solis gratulationibus debitum locum reliquerit.

Talem enim virum, in cuius pectore omnis virtutis semina celerrima et felicissima germinatione ad optimam frugem et maturam segetem producta dudum adoleverunt: qui meritis in civitatem magnis et plenis abunde floret:

qui candorem animi, rem in variis fortunae procellis et gubernanda republica admodum periclitantem, ab omni labe intactum semper conservavit: qui denique animo sanctitatis pietatisque germanum odorem spirante nullum dignius Deo esse sacrificium, idque exquisitissimis aromatum odoribus longe praeferendum, cognitum habet et expertum: talem igitur virum non exspectare, sed probare, revereri et amplecti, hominum in fidem eius et tutelam traditorum unum atque maximum officium est. Cuius quidem officii rite et libenter exsequendi religione cum scholae Thomanae magistri ac discipuli novo scholae curatori devinctos sese esse palam profiteantur, haud dubie id fecisse videbuntur, quod in re praesenti ad primam obsequii sui commendationem sufficiat.

XXI.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DECIMUM TERTIUM.

Pseudolus.

ACT. I. Sc. I. v. 119.

— — — — *verum si potes*
pietatis causa vel etiam matrem quoque.

Tria sunt, quae huius loci intellectum obscurum reddunt: nimia sermonis brevitas, dubia interpungendi ratio et insolens vocabuli *causa* significatio. Ambigi igitur potest, utrum servi an filii pietas intelligenda sit. Ne servi cogitemus officium impedit dicendi usus, ex quo pietas in grata voluntate erga deos, patriam, parentes aut alios sanguine coniunctos cernitur, nec unquam, quod sciam, inter servorum virtutes a veteribus commemoratur. Filius autem matrem suam pietatis causa decipiendam esse non aliter potest dicere, quam per iocum, ab animo maxima rerum suarum cura in praesenti sollicito alienissimum. Unde apparet, non posse *pietatis causa* dictum esse pro *pietatis gratia*, ut in illo Macrobii loco Sat. I. 9. *diem festum causa pietatis statutum;* sed ita videri positum, ut causa non efficientem aliquam rationem aut finem rei propositum significet, verum id indicet, quo

non prohibeatur, quo minus aliquid fiat. Quam vim habere etiam particulam *per*, ut graecum ἕνεκα, satis constat. Atque hoc sensu coniungit Plautus interdum illum ablativum *causa* cum pronominibus quidem possessivis, ut Epidic. V. 2, 14. *quaeras mea causa vel in medio mari*, Menaechm. V. 1, 27. *mea quidem hercle causa vidua vivito*, et V. 7, 40. *mea quidem hercle causa liber esto, atque ito quo voles;* cum genitivo autem rei aut personae praeter hunc locum non copulavit. Nec memini similis locutionis exemplum in alio scriptore occurrere. Hanc sermonis insolentiam Acidalius tacitus praeteriit, cetera bene exposuit; in quibus tamen etiam hoc monere operae pretium fuit, non esse post vocabulum *causa*, sed post *potes* interpungendum, quippe cum verba *pietatis causa* non referantur ad *si potes*, sed ad omissum verbum *tangas*. Pseudolus enim, in quem ut diximus, ob servilem eius conditionem, et potissimum ob propriam malitiam non cadebat pietatis officium, poterat *pietatis causa*, h. e. ut Ovidius loquitur Metam. XV. 109. *salva pietate*, herum utique fallere; filio idem non licebat. Est igitur *pietatis causa* breviter pro *pietatis meae causa* positum, et sententia loci vernaculo sermone ita exprimenda:

— — — — doch wenn du kannst,
Ich halt's für keine Sünde, prelle die Mutter auch.

Cui nostrae interpretationi non repugnat, quod idem adolescens I. 3, 56. ubi a lenone surripere pecuniam patri iubetur, ita respondet: *Egon' patri surripere possim quicquam, tam cauto seni? Atque adeo, si facere possem, pietas prohibet.* In hoc enim loco callidus adolescens consilium capit ex tempore, et simulatae pietatis excusatione impuri lenonis postulatum reiicit, eiusque turpitudinem vellicat: in illo autem fideli suo amico et consiliario apertum pectus ostendit.

ACT. I. Sc. III. v. 2. 3.

Cal. *Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?*

Pseud. *Bene curassis. Liquido es animo: ego pro me et pro te curabo.*

Quid *bene curassis* significet, ob verbi *curare* varios usus et ob omissionem rei, quae curanda sit, difficilius dictu est. Quam quidem difficultatem Bothius eo sublatum iri speravit, si Calidoro ea verba, quod ipse fecit, tribuerentur. Sed fugit virum acutissimum Calidoro minime convenire, ut ei det consilium, a quo id maxime expetat, aut mandatum saltem de re nec diserte commemorata, nec inter ambos composita. Alii vitiosam lectionem existimantes opem aut in codicibus quaesiverunt, e quibus Ambrosianus habet: *nihil curassis*, aut in coniecturis, quibus indulgentes scripserunt: *ne curassis*, *tu ne curassis*, vel, quod nimis ineptum est, *bene*, *ne curassis.* Nihil autem mutandum esse recte iudicavit sagacissimus Gronovius, qui a vera Plauti sententia parum et non nisi propinqua via aberravit. Verba eius haec sunt: „Censeo formulam esse hortandi aliquem, ne quid ex ordine quotidiano intermittat ob praesentem metum: sed agat solita, quasi nihil sit, quod interpellet. Recte rem aliam gere: noli ob hoc animo perturbato minus curare res alias." Hanc vero Gronovii interpretationem quo minus ex animo probem eo impedior, quod ita duplex ac contrarium obiectum cum uno verbo *curassis* copulavit, ut semel supplendum sit *rem aliam*, quod ipse scripsit, iterum *rem tuam*, quod latet in illis verbis: „ne quid ex ordine quotidiano intermittat ob rem praesentem sed agat solita." Sed si alterutrum tantum suaderet Gronovius, neutrum tamen amplecti possem, quia utraque ellipsis inusitata ac dura est, et posterior *rem tuam* ultro incommodam efficit sententiam: quandoquidem id ipsum quotidianum et solitum erat adolescenti curare, ne a lenone amica prostitueretur; quam tamen curam, si Gronovii valet interpretatio, Pseudolus omittere Calidorum iubet. Accedit quod, ad utram sententiam inclines, illud *bene* manifesto langueat. Itaque, cum de illius locutionis sensu meditarer, recordatus sum similis loci in Aulul. IV. 10, 57. qui mihi veram istorum verborum vim aperuit. Ibi enim Euclioni, qui se infelicem

et miserum praedicat, Lyconides dicit: *bono animo es et benedice.* E quibus verbis cum nostro loco collatis apparet, *bene curassis* respondere verbo *benedice*, quod Plautus alibi quoque Asin. III. 3, 155. Cas. II. 5, 38. pro formula illa *bona verba dici* posuit. Est igitur haud dubie *bene curassis* formula iubentis aliquem melius ominatis verbis uti meliusque sperare, similis illi *di melius faciant.* Pseud. I. 3, 80. *Curare* autem absolute positum pro *cogitare* accipio, cum curae atque cogitationes saepe ad unam meditationis de re futura notionem designandam coniungantur. Idcirco concisam illam formulam ita explico: *Suscipe bonae rei et melioris eventus cogitationem.*

A C T. I. Sc. III. v. 67.

Eme die coeca hercle olivum, id vendito oculata die.

Huius loci sententiam et nexum cum sequentibus verbis nullus interpretum clare perspexit recteque explicuit. In causa est, quod Ballio quid cogitet non suo nomine indicat, sed pro eo ponit simile. Hinc oritur oratio allegorica, quam tanto obscuriorem esse constat, quanto minus cognita res sit, unde similitudo petita est. Quo quidem haud apertae comparationis vitio multa loca ipsorum auctorum culpa laborare non est dubium; sed maiorem culpae partem tempora sustinent, quorum vetustate rerum lippis et tonsoribus olim notarum memoria aut plane obliterata, aut tam rara est, ut in omnibus antiquarum, quae supersunt, literarum monumentis vix semel iterumque occurrat. Cuiusmodi rerum in tempore meminisse non ab arbitrio pendet interpretis, sed a fortuna, qua ut aliorum inventorum, ita etiam inveniendae veritatis solam saepe causam contineri nemo ignorat. Forte igitur quadam utili ad tempus accidit, ut nos in exquirenda loci Plautini sententia recordaremur eorum, quae Cicero (de Divin. c. 49.) de Thalete tradidit, „qui, ut obiurgatores suos convinceret, ostenderetque, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. Animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore.“ Haec autem

res a Thalete gesta consilio adolescenti in hoc Plautino loco dato ex omnibus partibus ita respondet, ut dubitare nequeam, quin Plautus ad eam, sermonibus vulgi (in cuius ore Thaletis sapientia florebat, Capt. II. 2, 24. Rud. IV. 3, 64. Bacch. I. 2, 14.) celebratam respexerit, luculentoque exemplo, quo plus quam praeceptis efficitur, Calidorum a Ballione ad praesentem opem inveniendam instituendum curaverit. In utroque enim loco idem commemoratur pecuniae faciendae consilium, eadem oleae emendae vendendaeque ratio, eadem denique providentis animi ad rem efficiendam opportunitas. Atque hac quidem singularum rerum breviter indicata convenientia satis ad illustrandam poetae sententiam profectum arbitraremur, nisi *coeca* illa et *oculata* dies, qua Ballio emtionem venditionemque fieri iubet, interpretum super toto loco impediret perturbaretque iudicium. Monendum vero est, *coecam diem* non proprio sed commutato sensu dici, ita quidem, ut duplex in eodem vocabulo tropus insit: partim metonymia, cum effectus pro causa ponatur, et dies quae caecos faciat intelligatur: partim metaphora, cum non oculis sed mente coecutientes (ut *occoecati* illi *intestina rabie lupi* apud Liv. III. c. 66.) significentur. Quam veram esse illius locutionis vim ex eadem, quam proposuimus, Ciceronis narratione elucet. Nam cum Thales, antequam florere coepissent, coëmebat oleas, quarum ubertatem mente praevidebat, ceteris coecutientibus solus ille erat oculatus. Hoc autem pecuniae comparandae exemplum imitari iubetur adolescens, non ut idem quod Thales faciat, sed ut aliud pari modo faciat. Thales enim *omnem oleam coëmerat*, adolescens nihil nisi *emere* iubetur; illius spes quaestus faciendi in seram messem differebatur, huic curae erat, ut subitum quaestum faceret, quod res ipsa et Ballionis promissio indicat: *iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.* Cuius rei opportunitatem cum adolescens pauperrimus non aliter nancisci posset, quam ut rem vendendam non soluto sed promisso pretio et facta stipulatione emeret, cuiusmodi stipulationes adolescentes quinque et viginti annis minores inire prohibebantur; (v. Plaut. Rud. V. 3, 24. et

Fragmentum Sueton. ap. Priscian. lib. VIII. p. 794. Putsch. quod sic sonat: „Laetoria quae vetat minorem annis XXV. stipulari.“) apparet, cur Calidoro emtionis per creditum faciendae consilium non magis ad rem praesentem utile visum fuerit, quam illud versu 60 de pecunia mutuo sumenda. Tota igitur callidi illius consilii vis in eo posita est, ut adolescens provida mente bene aliquid emendo idemque pluris vendendo quaestum faciat. Quam rem cum poeta non recta et simplici oratione pronunciaret, sed pro re ipsa exemplum poneret, omisso tamen certo usurpati exempli indicio, ea verborum figura usus est, quam allegoriam dicimus.

His ita explicatis sponte apparet, quantum a vero aberraverint, qui nostrum locum illi Catoniano (de R. R. 151.) *die lanam et agros vendat*, parem esse statuerunt. Quod enim illi volunt istam locutionem *die vendere* idem significare, ac non praesenti pecunia, sed solutione in diem dilata, vendere, id non solum toti sententiae huius loci, a Gronovio Observatt. I. 20. emendati et accurate explicati repugnat, sed adversatur etiam latini sermonis consuetudini, ex qua quidem *in diem vendere* ita dici potuisse e contraria locutione *in diem emere*, a Cornelio Nepote in Attico c. 9. (qui quidem locus interpretibus Plauti admodum utilis erit) eodem sensu usurpata elucet, neutiquam vero *die vendere*, quod non aliter quam *iusto* et *commodo die* explicari debere linguae usus et natura docet. Sed si vel maxime vera esset, quam impugnamus, opinio; tamen ea ad dilucidandum Plautinum locum parum proficeret, ubi de homine agitur, cuius plurimum intererat, ut rei vendendae pretium e vestigio solveretur. Quod contra, praeter suam et adolescentis voluntatem, fieri iussisset Ballio, si *die vendere* eodem modo diceretur, quo apud Cornelium *in diem emere*. Quae si mens Plauti fuit, videtur ille absque idonea causa emtionis venditionisque diem *coecam oculatamque* nominasse. Praefinita enim pecuniarum die de pretio venditae rei iam transactum esse debebat, nec amplius quidquam ad lucrum vel faciendum vel augendum referebat, utrum emtores postmodo se deceptos

sentirent, nec ne; atque etiam inanis fuerit ista vocabulorum *coeca* et *oculata* positio, in qua tamen nemo non videt inesse maximum rei ab adolescente agendae momentum, quod totam suam vim a respectu exempli Thaletis accipit, ad quod poeta quasi digitum intendit, quodque adolescentem non pressis vestigiis sequi, sed utcunque, ita tamen imitari vult, ut ex re emenda cumque lucro, quod alii non praevideant, vendenda pecuniam faciat. Quod autem emtio ista per creditum facienda et lucrum extemplo quaerendum est, id proprium est causae Calidori nec quidquam cum Thaletis artificio commune habet.

A C T. I. Sc. III. v. 95.

Nolo victimas, agninis me extis placari volo.

Pro vocabulo *agninis*, quod in antiquissimis editionibus legitur, Scaliger ex auctoritate quorundam codicum, in quibus etiam Lipsiensis est, posuit *at minimis*, eaque locutione contineri sane iocum Plautinum contendit. Sed multa habeo, quare cum eo dissentiam. Primum illud est, quod *victimas*, quae dicuntur etiam *maiores hostiae*, saepe oppositas invenimus *minoribus*, nunquam vero *minimis hostiis*.

Qui quidem optimorum auctorum dicendi usus eo fundamento nititur, quod veteres omnia animalia diis immolanda simpliciter in duas classes dividebant, quarum altera maiores, minores altera hostias comprehendebat. In qua divisione non corporum magnitudinem, qua aliud bestiarum genus prae alio excellit, sed aetatis gradum, et eum quidem, quo a lacte matris depelluntur, respiciebant. Itaque maiores hostiae adultorum, minores lactentium pecorum fuerunt, et nulla neque magnitudinis, neque generis, neque sexus ratione habita in illis numerarunt boves, sues, oves, capras, in his vitulos, suculas, agnos et capellas. Sed cum existimaret vulgus hominum, dona diis oblata aut magnificentia aut innocentia praestare oportere, ad maiores hostias boves, ad minores agnos prae ceteris adhibuerunt, iisque animalibus in plerisque

sacrificiis tam constanter usi sunt, ut vix dubitare liceat, quin iis in locis, ubi nulla animalium genera expressis verbis nominantur, sub victimis et maioribus hostiis boves, sub minoribus et lactentibus agni intelligendi sint. Recte igitur Plautus victimis agnina exta, quae idem valent ac minores sive lactentes hostiae, opposuit; sed *exta minima* minime nuncupare potuit, cum ideo, quod a perpetua sermonis consuetudine abhorret, maiora aut minora exta pro maioribus minoribusve hostiis dici, tum propterea, quia insolens ista locutio audientem non facile in cogitationem agni adduxisset, eoque magis de vera poetae voluntate dubitare coegisset, quo illi fuerat etiam per versum proclivius ita dicere: *Nolo victimas, minoribus extis placari volo.* Sic enim Plauto necessario scribendum erat, si agnos volebat intelligi: sin quaslibet hostias exiguo corpore aut vili pretio insignes commemorare voluisset, tum licuisset ei eodem iure minima exta sive minimas hostias dicere, quo „*maximam hostiam ovilli pecoris appellatam esse a Romanis*“ Paulus ad Festum adnotavit, „*non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore*,“ ob quem, opinor, inprimis acceptae diis eius generis hostiae putabantur. Etsi vero natura fert, ut agni minoris constent quam maiores hostiae, eaque de causa humanus ille Iupiter modestiam simulando postulare potuit minoris pretii hostiam; tamen inter minus et minimum tantum interest, ut quas mente cogitat, viginti illas minas, minimam summam appellare nequaquam potuisse videatur.

Altera causa, cur istam lectionem *at minimas* improbemus, est grammatica. Habet enim particula ista adversativa *at* hanc propriam ac peculiarem vim, ut duas dissentientium hominum sententias ita componat, ut quod alter statuerit, ab altero tollatur plane, si omnino falsum est, aut saltem accuratius definiatur, si non satis recte dictum videatur. Veluti in his: Cic. pr. Mil. c. 6. *quid porro quaerendum est? factumne sit? at constat. A quo? at patet*, et ad Attic. VII. 11. *Non est in parietibus respublica, at in aris et focis.* In priori loco antecedens sententia simpliciter negatur, in posteriori

accuratius definitur. Nec refert omnino, utrum is, cui quis obloquitur vere adsit, an adesse fingatur, modo cogitetur aliquis ab eo, qui verba facit, animo discrepans. Exinde profectus est vulgaris ille disputantium mos, a Cicerone in orationibus, epistolis, aliisque libris sexcenties usurpatus, quo fingunt sibi argumenti accuratius exponendi gratia adversarium, contrariam aut saltem diversam sententiam per particulam *at* pronunciantem, eique postmodo respondent. (Exempla collegit Schellerus in Praeceptt. Stil. latini p. 481.) Diversae igitur diversarum personarum sententiae in omnibus locis, in quibus *at* usurpatur, occurrunt, etiam ubi aliquis nullo oblocutore nec vero nec ficto dicta dat. Id in deliberando usu venit, cum animi pendentes de re facienda factave iudicamus, aut consiliorum ineundorum initorumve rationes et eventus expendimus, et dubitationes in mente exortas ultro refellimus. Quamdiu enim dubitamus, ipsi nobiscum discordamus, et pugnamus, et duplicem quasi personam agimus. Sic in illo Ciceronis loco: pro Quinctio c. 31. *Obsecravit, ut aliquam si non propinquitatis, at aetatis suae; si non hominis, at humanitatis rationem haberet*, Quinctius est, qui obsecrat, ut sui habeatur aliqua ratio; sed in ferendis conditionibus duae personae apparent, altera, quae respectu propinquitatis et hominis negare beneficium fingitur, altera, quae sublato illo respectu aetatis et humanitatis rationem opponit. Sic illius loci Plautini Captiv. III. 5, 32. *qui per virtutem periit, at non interit*, facillima erit explicatio, si verba ita struamus: *At non interit, qui per virtutem periit*, quod contra opinabatur alter, qui dixerat: *Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.*

Quodsi igitur is perpetuus, de qua quaerimus, particulae usus est, ut non alibi ponatur, quam ubi quis aut suae aut alius hominis sententiae veritatem facultatemve impugnat, apparet, eam in loco, quem tractamus, non esse a Plauto usurpatam. Non enim negat Ballio omnino verum esse, quod Calidorus fieri vult, nec conditionem affert, qua res aliqua negata sibi facultatem

16

habere possit, (nam si interdixisset Calidorus de sacris, dicendum fuisset Ballioni: *Nolo victimas* sc. a te negatas, *at minoribus hostiis* etc.) nec denique ipse suam corrigit sententiam, sed distinguit tantum inter hostias sibi faciendas, et spretis maioribus minores postulat. Quam voluntatem ita debebat exprimere: *Nolo victimas*, *sed minimis me extis placari volo.* Nam particula *sed* distinguit diversas res, particula *at* super una re diversas et contrarias opponit sententias.

Orta autem est illa prava lectio haud dubie ex vetusta forma vocabuli *agninis*, quod Plautus, cuius aetate demum usurpari coepit a Romanis litera *g*, a Spurio Carvilio inventa, (v. *Schneider Elementarlehre der lat. Sprache I. pag.* 267.) scripsisse videtur *acninis*. Hoc aliquis non intelligens, locique vim et veram Ballionis sententiam respiciens mutavit opinor in *ac minis* quemadmodum in Palatino codice, sed transpositis literis *ac nimis* scribitur. Iam alius, qui videret illud *ac minis* non quadrare ad sequens Calidori mandatum: *arcesse agnos*, mutavit illud *minis*, quod per compendium scriptum esse putavit, in *minimis*. Ita natam esse arbitror, quam reprehendo, lectionem.

Accedit tertium idque gravissimum argumentum, quo isti vocabulo *agninis* sedem suam hic loci vindicandam esse existimem, repetitum illud ab improprio, quo leno utitur, sermone, quem non intelligens Calidorus putavit veros agnos dici, cum tamen Ballio minas cogitaret. Qua quidem orationis figura Plautus pariter atque in Truculento III. 2, 10. ubi simul lusit duplici vocabuli *mina* significatione, non solum consulto, sed etiam eleganter usus est, quippe cum illius metonymiae recta ratio ex more Romanorum, numos suos imaginibus pecudum, unde pecunia dicta est, signandi appareat. In hac igitur ambiguitate sermonis adeo penitus latet tota huius loci venustas atque lepos, ut vehementer dubitem, an sublata ea verbis istis iocus omnino aliquis, nedum festivus moveri potuerit.

ACT. IV. Sc. VII. v. 44.

Harp. *Tun' is es?* Si. *chlamydate, cave sis tibi a curio infortunio.*

Mire vexatus hic est locus a criticis propter invisam alias et inauditam vocem *curio*, quam qui Plauto servatum iverunt, veterum librorum verecundiae ingenii sui famam impenderunt. Licet enim merito vituperandi grammatici sint, qui malorum medicorum exemplo omissis lenioribus adhibendae curationis modis, statim ad secandum accinguntur, quam potestatem nostra maxime aetate in haud salubrem luxuriam vertisse et magno veterum librorum detrimento stetisse dolemus; tamen non laudandam edunt operam, si qui desperatos plane locos veluti aegrotos, quibus Hippocrates medicinam adhibere vetat, quovis modo tueri conantur. Id huic accidit monstroso vocabulo *curio*, quod ut defenderet Salmasius, in auxilium vocavit *agnum* illum, quem Plautus (Aulul. III. 6, 27.) *curionem* appellavit, non usitato cognomine, sed scurriliter usurpato, ut sacerdotes curiones, opinor, aliqua de causa vellicaret, eorum nomen a cura derivans, quam nimiam fortasse in exigendis sacrificiis ponebant, quae macilentos redderet. Quare non dubito, quin Plautus, si compar fuisset, Salmasio acclamaturus fuisset: „heus tu, si quid per iocum dixi, nolito in serium convertere." (Poenul. V. 6, 41.) Id quod ne Festus quidem, quo teste ille utitur, fecit, quippe qui eo quod scripsit: *curionem agnum Plautus pro macro dixit*, non statuit, iure illud et ex consuetudine latini sermonis a poeta esse factum, sed contrarium innuere voluit. Sed sit vera illa vocabuli originatio, tamen non sequitur, formasse Latinos ex eadem stirpe adiectivum *curius*. Praeterquam enim quod adiectiva in *ius* desinentia, a nominibus primae declinationis derivata rarissima sunt, habent ea vim verbi activi eiusdem originis, quemadmodum *noxius* a *noxa* ductum significat eum, qui noxam alicui infert. Foret igitur *curium infortunium* tale, quod curas alicui iniicere possit. Videlicet noverat Plautus aliud genus infortunii, quod relevet animum et oblectet! Quale si

quis nobis monstraverit, illud quoque, de quo agitur, vocabulum possidebit. Verum enimvero non quemlibet inquis et vulgarem infortunii effectum Plautus isto adiectivo indicare voluit, sed eam aegritudinem, quae exest animum corpusque macerat, attenuat et paene conficit. Tum vide ne poeta inepte fecerit, cum fingeret Harpacem longinqui mali metu terreri, ubi praesentis mali comminatione maxime coercendus erat. Itaque cum nos illud vocabulum *curium* interpretando nullo modo tueri possimus, leniter corrigendo restituenda erit genuina scriptura, quam nos fuisse arbitramur *duro infortunio.* Eodem enim intellectu, quo *dura mala*, *duri casus* et *durum fatum* dicuntur, durum infortunium dicere Plautus potuit, quippe poenam et inprimis verbera pro male factis aut dictis data, ut saepe, sub infortunio intelligens. Quare non dubitamus istum versum ita scribere: Harp. *Tun' is es?* Si. *chlamydate, cave sis tibi duro infortunio.* Atque ita simul consulitur metro eiecta praepositione, quam Plautus post verbum *cavere* saepissime omittit, ut Bacchid. I. 2, 39. *Omitte, Lyde, ac cave malo.* Lyd. *quid? cave malo?* et qui locus nostro simillimus est: Rud. III. 1, 48. *cave, sis, infortunio.*

XXII.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DECIMUM QUARTUM.

MOSTELLARIA III. 1, 58.

Eu hercle, nae tu abi modo. ausculta mihi.

Non posse verba ista *nae tu abi modo* in unam coniungi sententiam, apparet ex natura adverbii *nae*, quod in latino pariter atque graeco sermone saepe ab iis, qui audacter aliquid affirmant usurpari solet, nusquam vero a iubentibus adhibetur. Quamobrem existimo, haec verba pronuntiantis spiritu et interductu aliquo librarii esse seiungenda, scribendumque vel: *Eu, hercle, nae. Tu abi modo.* vel *Eu hercle. Nae tu abi modo.* At prior interpungendae orationis modus ob tres causas improbandus videtur, cum quia sic Tranio affirmaret sese nugari, eoque nec satisfaceret serio expostulanti Danistae, nec id, quod maxime volebat, efficeret, ut ille abiret; tum quia pronomen *tu* careret illa vi, qua ab initio sententiae positum refertur ad aliam personam, quae ab altera distincte separanda est. Nam ad illam interrogationem, *quid nugamini?* inepta sane esset responsio: *nae nos nugamur! tu abi modo.* Denique perpetua dicendi consuetudo, ex qua ista particula *nae*, quod

sciamus, nunquam concludit sententiam, nos impedit, quo minus istum verborum ordinem probandum censeamus. Solet enim concitatior dicentis animus ab illa vocula tam vehementem capere affirmandi impetum, ut alius quam prior, certe quidem postremus in oratione locus ei repugnare videatur*). Qua de causa recte fecisse Monkium arbitramur, cum in Euripidis Alcestide v. 1138 duo ista verba ἔχω ναί, in omnibus editionibus Admeto tributa, ita divideret, ut posterius inchoaret Herculis orationem. Probabilior igitur altera interpungendi ratio videatur: *Eu hercle. Nae tu abi modo*, praesertim cum istam voculam *nae* interdum quoque ab iis, qui aliquid fieri serio vellent, usurpatam fuisse appareat e loco Euripidis in Oreste v. 147. καὶ οὕτω κάταγε, κάταγε, cui similem fecit Monkius illum in Alcestide locum v. 1138. ναὶ, σῶζέ νιν. Atque hunc graecum dicendi morem expressisse Plautus videri posset**), modo pateret, quo referenda esset illa exclamatio: *eu hercle!* quam nos, quare hic loci ineptam existimemus, supra scripsimus. Nec est omnino commodus istius interiectionis *Eu* in hac verborum comprehensione locus, sive illa veram laudem, sive simulatam significari arbitreris. Adducti igitur sumus in suspicionem corruptae scripturae, cuius sanandae optimam opportunitatem nobis codex Lipsiensis et editio princeps praebuit. Ibi enim pro *Eu* legitur *Tu*, quae haud dubie germana scriptura est. Itaque censemus eam, quam tertio loco proposuimus, interpungendi rationem ceteris praeferendam, atque ita scribendum esse: *Tu, hercle, nae tu.* sc. nugaris. Ita enim in omissione verbi proxime praecedentis deprehendimus consuetam

*) De medio loco dubitari potest. In illo saltem versu Amphitr. I. 1, 228. *nam Amphitruonis socium nae me esse volui dicere*, codex Lipsiensis pro *nae* offert *certe*, quae lectio est etiam metro accommodatior.

**) In alio loco Cas. III. 6, 20. utique expressit, si vera est lectio, quam Bothius concinnavit: *Nae, etiam i, sis!* Sed quoniam vulgaris lectio *ne etiam isis*, modo postremum vocabulum mutetur in *ibis*, commodum det sensum, quippe cum interrogandi particula *ne* saepe ab initio ponatur, suspendimus nostrum iudicium.

orationis incitato cursu fluentis brevitatem: in repetitione autem pronominis, cum animi constanter affirmantis contumaciam, tum observationem consuetudinis optimorum scriptorum, qui illud *nae* semper fere cum pronomine coniungunt: in eo denique, quod illud *nae* nec primo nec postremo loco positum est, similitudinem cum graeca consuetudine, cuius exemplum illud e Callimachi fragm. 30. esto: *Λυσανίη, σύ γε ναίχι καλὸς, καλός.* Retracto igitur interpretationem huius loci nuper a me propositam, quem nunc ita vertendum esse persuasum habeo: *Du thust das, ja du. Geh nur fort, und folge mir.*

MOSTELL. III. 2, 143.

Non enim haec pultifagus opifex opera fecit barbarus.

Cum duo vocabula, e quibus nomen pultifagus conflatum est, in ipsa fronte gerant diversae patriae indicium, hoc uno exemplo refutari posse videatur, quam nos de Plauto hybridarum vocum ignaro nuper proposuimus, sententia. Utraque enim pars vocabuli proprium in diversarum gentium linguis domicilium adeo non mutavit, ut posterior nunquam in latinum sermonem immigraverit, prior autem in Graecia hospitii potius, quam civitatis iure gavisa esse videatur. Pulte enim Romani vixerunt, non Graeci, et pro eo, quod Graecis *φαγεῖν* significat, illi semper sive in simplicibus, sive in compositis vocabulis vesci, edere et vorare dixerunt. Quare non necesse fuit, ut Plautus, cum una voce hominem pulte vescentem appellare vellet, conglutinaret diversarum linguarum vocabula, quippe cui in manu erat e vernaculi sermonis materia fabricari vocabulum *pultivorus.* Qua potestate sibi per analogiam linguae concessa cur uti ille noluerit, vix aliam possis divinare causam probabilem, praeterquam ineptum peregrinitatis studium, a quo tamen eum quam maxime abhorruisse alio loco docuimus. Sed immerito poeta, elegantium verborum laude florentissimus, in hoc vocabulo negligentiae puri sermonis plectitur. Nam qua libertate omnes gentes fruuntur, ut rerum in alienis terris inventarum nomina aut integra retineant,

aut cum novis permutent, eam Graeci quoque in hoc vocabulo videri possunt iure sibi vindicasse, nec operae pretium existimasse, pultem, rem a se rarius appellandam, alio quam latino nomine, si quidem tale fuit origine, exprimi. Illud certe quidem fecerunt, ut pultem *πόλτον* vocarent, eoque vocabulo non solum ibi uterentur, ubi de victu illo Romanorum antiquo et vulgari loquerentur, sed etiam ubi de cibi genere aliquo a medicis suis commendato agerent, quod maximam haberet cum illa pulte similitudinem (vid. Athenaeum, libr. XIV. c. 58.). Neque vero necesse est, ut Graeci hoc vocabulum a Romanis acceperint. Est enim veri simillimum, pultem ex eo esse vocabulorum genere, quae grammatici *ὀνοματοπεποιημένα* vocarunt, hoc est talia, quorum appellatio ab ipso sono profecta est. Qui fons inveniendorum nominum cum omnibus, qui humanis auribus et ore utuntur, aeque facile pateat, nulla causa est, cur vocabula idem sonantia et idem significantia ab uno populo ad alium quasi per canales sensim fluxisse arbitremur, eorumque latius diffusam usurpationem linguarum diversarum commercio potius, quam communi hominum naturae tribuamus, qua fit, ut id, quod cum aliis pariter et aequaliter sentiamus, eodem quoque modo vel gestu vel voce significare soleamus. Quare mihi videtur Vossius iniuria improbasse eam rationem, qua Apollodorus, auctore Varrone, vocabuli pultis originem a sono deduxit: Varro autem in eo errasse, quod e Graecia derivavit latinum vocabulum, quod eiusmodi est, ut ab utraque gente sponte atque ultro fingi potuerit. Sunt vero Varronis verba haec: *De victu antiquissima puls appellata, vel quod ita Graeci, vel ab eo, ut scribit Apollodorus, quod ita sonet, cum aqua ferventi insipitur.* Sed quaecunque est interpretandi vocabuli ratio, id certe constat, Graecos pariter atque Romanos usurpasse idem vocabulum. Quemadmodum igitur *ἀρτοφάγος*, *κριθοφάγος*, *καρποφάγος* et alia dixerunt, ita etiam potuere *πολτοφάγος* dicere; et licet eius vocabuli nullum in graeco scriptore supersit vestigium, tamen nihil est, quod impediat, quominus Plauti aetate, qua Graeci cum Romanis maiora vitae

commercia habere coeperunt, mirati illi quotidianum Romanorum victum, πολτοφάγους eos vocitarent, eoque nomine istius gentis barbariem et ruditatem deriderent.

Hoc igitur vocabulum, quod totum graecum est, Plautus ob singularem emphasin, qua illud in palliata comoedia in Romanos homines increpatur, de industria cum latino permutare noluit, satisque habuit dare ei formam Romano ori accommodatam, qualem innumerae acceperunt graecae voces, quae quasi per usucapionem latinae factae sunt. Quod enim non scripsit *pultofagus*, sed *pultifagus*, id dedit haud dubie patrii sermonis legibus, ex quibus nomina cum verbis composita litera *i* non *o* terminari solent. Utrum vero *pultifagus* an *pultiphagus* scripserit, quod cum bona latinitatis venia facere poterat, id non satis constat. Etsi enim in graecis vocibus, quas latinitate donarunt Romani, antiqua literarum scriptura plerumque servata est, tamen in multis pro literis *ph* poni coepit *f*; sed tam maturo tamque promiscuo et nullis certis regulis definito usu, ut incertum sit, quid de propositi vocabuli scriptura, quae in codicibus variat, Plautō placuerit, et utrum poetae inconstantiae, an librariorum arbitrio tribuenda sit ista literarum dissimilitudo, quam habet eiusdem originis vocabulum in alio poetae loco, Poenul. Prol. v. 53. ubi Pultiphagonides quidam commemoratur.

Sed nondum licet manum de tabula. Postquam enim haec commentatus eram, legi in libello quodam, qui parvis particulis quot hebdomadibus in vulgus editur (*der Gesellschafter oder Blätter für Geist und Herz. Beylage zu Nr.* 124. 1824.), dubitari ab aliquo, an non vera sint, quae ego de Plauto hybridarum vocum ignaro statuerim. Attulit vir ille sagacissimus plura vocabulorum exempla, quibus meam sententiam labefactare et evertere conatus est. Quapropter meum esse videtur, ut quid sentiam clarius exponam. Ac negare neutiquam volumus, novisse poetam talium vocabulorum factorum faciendorumque rationem, sed noluisse eum contendimus eiusmodi sordibus et scabritie inquinare patrii sermonis elegantiam; cuius ille tam studiosus fuit,

ut linguae latinae decus et elegantiae in verbis latinae princeps a Gellio vocatus sit. Atque hanc quidem Plautinae orationis laudem non obscurat frequens vocabulorum Graecorum usus. Ab his enim poeta eius seculi, quo latinus sermo constitui demum et sui quasi iuris fieri coeperat, ob linguae inopiam et communis sermonis consuetudinem abstinere non omnino poterat, neque vero etiam, si serius vixisset, necessario debebat; quippe cum ipsum Ciceronem, patriae linguae tenacissimum et novorum vocabulorum felicem architectum, pro iis, quae latine dici poterant, graeca usu semel percepta interdum perspicuitatis, commoditatis aut alius rei causa adhibuisse constet. Sed eam veniam, ut fingeret vocabula, quae nec latina nec graeca essent, non magis Plautus quam Tullius sibi datam existimavit. Nec sane habuissent illi quidem quo hanc barbariem excusarent. Nam quod Graeci uno composito verbo dicebant, id licebat iis, si aliter non poterant, pluribus verbis exponere; quod autem non erat graecae originis vocabulum; id de industria e diversarum linguarum membris consarcire, nulla cogebat necessitas. Quodsi eius generis vocabulis elegantes scriptores nonnunquam usi sunt, fecisse id putandi sunt nec necessario, nec negligenter, nec ingeniose, sed ideo ut vitiosam aliquam sive vulgi, sive scriptoris cuiusdam, dictionem notarent. Quem comicorum praecipue poetarum morem vel ex Aristophane, qui tragicos poetas hoc sale saepe perfricuit, satis habemus cognitum. Tantum igitur abest, ut Plauti auctoritate defendi possint voces hybridae, ut persuasum habeamus, eas nunquam ab ipso fuisse factas aut probatas, et si quibus passim in scena uteretur, id fecisse ideo putemus, ut vel malum eorum artificem, vel homines, qui adulterinos illos numos pro bonis acciperent, deridendos spectatoribus propinaret. Quod igitur ad voces attinet, quas Anonymus ille in hybridis numerat, quid nobis de voce *Pultiphagonides* videatur, superius est expositum. Alterum autem vocabulum *thermopotare* non minus graecum totum est, quam *οἰνοποτεῖν*, *γαλακτοποτεῖν*, *φαρμακοποτεῖν*; quippe cum non propria linguae, in quam peregrina vox translata

est, terminatio, sed vocum in unam conflatarum peregrina alterius originatio hybridum vocabulum efficiat. Tertium vero ab Anonymo commemoratum vocabulum *ulmitriba* (Persa II. 4, 7.) non novasse poetam, sed nescio a quo inventum per iocum atque ludum usurpasse, eo verisimilius fit, quod in promtu ei erat dicere *ulmiterus,* eodem modo, quo in Trinummo IV. 3, 14. dixit *ferriterus.* Sed captans Plautus undique facetiarum faciendarum occasionem maluit, irridens quorundam orationis pravitatem, *ulmitriba* dicere, similiter atque illud *ferriterus* in Mostellaria II. 1, 9. cum *ferritribax* permutavit. Quae vero alia in medium protulit Anonymus vocabula, ea nullo iure in hybridorum ordinem redegit, cum nullum eorum ex graeco et latino sit compositum, et quae talem habeant speciem, sola terminatione utriusque linguae nominibus communi fallant.

His ita expositis superest, ut refutemus Scaligeri sententiam, qui nomine pultifagi non Romanum sed Poenum indicari artificem speciosis argumentis contra Turnebum evincere studuit. Id elucere ait cum ex eo, quod Plautus comoediam, quae graece Carchedonius vocetur, latine inscripserit patruus Pultiphagonides, idque bono cum iure fecerit, quia Punica quoque puls nota fuerit, cuius faciendae rationem Cato in libro de re rustica c. 85. docuerit; tum quia Poeni lignario opere inclaruerint, eaque de causa multa fabricae ligneae opera ab iis nominata sint, ut *lecti Punici.* Plin. H. N. 33. 11. *fenestrae Punicanae* Varro de R. R. III. 7. 3. item *coagmenta Punicana.* Cato. c. 18. Unde sic argumentatur: Plautus, cum vult ostendere aedium postes hiare, ait, non esse factos a Poeno fabro. Non enim hiascerent commissurae, si Poenus faber eas coniunxisset. Sed prius argumentum leve est, quippe cum non soli Poeni, sed Romani quoque, et ii maxime, atque adeo Graeci, ut superius dictum est, pulte usi sint; alterum vero lubrico et falso fundamento nititur. Nam cum vir doctissimus coagmentorum Punicorum, quae Cato commemorat, recordaretur, et hic quoque loci coagmentorum mentionem fieri videret, nescio quomodo in hunc errorem

incidit, ut de postibus hiantibus cogitasse Plautum arbitraretur. Sed poeta duarum rerum virtutes laudat: partim postium firmitatem et crassitudinem, partim forium coagmenta. Haec omnino nullo laborare vitio, sed optime esse comparata, his verbis dicit: *specta, quam arcte dormiunt;* illos ex parte quidem vitiosos esse, *quia ab infimo trames secet*, sed tamen etiam nunc *satis bonos*, si sint inducti pice, propterea quod pultifagus opifex ea opera *non* fecerit. Ex quibus verbis id sequeretur, quod contra Scaligeri voluntatem est, ut, si Poenus opifex eos fecisset, iam non satis boni essent. Quodsi quis ita velit patrocinari Scaligero, ut dicat, verbis illis: *Non enim* etc. non contineri causam, cur postes illi satis boni dicantur, sed cur *intempestive excisi* credantur, is vereor ne in maiores tricas se coniiciat, si ianuae aedium aliam partem, postes, a malo artifice, aliam, fores, a perito artifice factam esse velit defendere. Denique vel solum cognomen *barbarus* impedire mihi videtur, quo minus hic de probo et callido artifice, quem intelligunt, qui pultifagum Poenum interpretantur, recte cogitari possit.

MOSTELL. V. 1, 40—45.

Th. *Dat profecto.* Tr. *quin et illum in ius iube ire.*
Th. *iam mane.*
Experiar, ut opinor: certum est. Tr. *mihi hominem cedo.*
Th. *Quid si igitur ego arcessam homines?* Tr. *factum iam esse oportuit:*
Vel hominem iube aedes mancipio poscere. Th. *imo hoc primum volo,*
Quaestioni accipere servos. Tr. *faciendum edepol censeo.*

Duo sunt, quae huius loci passim corrupti intellectum reddunt admodum difficilem: manifesta numerorum quorundam dissolutio et obscura alternorum sermonum convenientia. Quam quidem difficultatem etsi nos plane expedituros esse non speramus, tamen moderata metrorum

interpolatione et commoda verborum interpretatione ita minuere studebimus, ut, si non ipsa Plauti verba refinxisse, saltem sententiam poetae aperuisse videamur. Omnium primum autem tenendum hoc est, callidum istum Tranionem, postquam audiverat, Simonem hero suo pollicitum esse servos omnes quaestioni, qua necesse sit, ut maximi mendacii palam convincatur, de fuga cogitare; id enim indicat Theuropidae vox: *iam mane*. Quod consilium ut non prohibente hero possit exsequi, praetexit causam utilem: *quin et illum in ius iube ire;* videlicet sperans fore, ut ad quaerendum eum ipse ablegetur. Sed spe sua fallitur manere iussus ab hero, qui se cum Simone iure velle experiri primo dubitanter: *ut opinor* (cuius locutionis vim illustrant similia loca: Asinaria I. 2, 25. et 3, 94. Persa IV. 4, 99. Casina III. 6, 9. quo sensu etiam dicitur: *ut arbitror*, ab Auctore ad Herennium III. 1.), mox audacter dicit: *certum est.* Quo audito servus, aliam aufugiendi occasionem captans, *mihi hominem cedo*, inquit; hoc est, trade mihi negotium agendi cum illo homine de ista aedium venditione. (Similiter atque est apud Terentium in Adelphis III. 5, 38. *puerum mihi cedo: ego alam.*) Sed premit servum atque angit dominus vehementius, interrogans: *quid si igitur ego arcessam hominem?* (sic enim pro *homines* legi necesse videtur.) Itaque ille, ut celet animi anxietatem, rectique conscientiam simulet, ait: *factum iam esse oportuit;* re vera autem causae suae ampliationem quaerit, ideoque dicit: *vel hominem iube aedes mancipio poscere*, h. e. iube eum priorem vindicare tibique litem movere de retinenda possessione vel: iube te ipsum potius ab illo in ius vocari. Cui nostrae interpretationi non repugnare potest, quod non venditoris, sed emtoris erat mancipium rei poscere. Non curat enim Tranio legitimam iuris viam et iuris consuetudinem; sed id agit, ut seni certissime persuadeat de vera istarum aedium possessione, a qua tantum absit, ut depelli possit, ut Simonem potius, si redhibere eas velit, oporteat poscere earum in iure cessionem. Poetarum enim, maxime comicorum, non

est docere iuris normas atque regulas, sed hominum vitam atque mores in sermonibus apte exprimere. Cui muneri nihil potuit a Plauto fieri accommodatius, quam ut servum, cuius res in angusto sunt, cum cetera, tum ius quoque turbantem faciat, idque a sene stolido neutiquam observari et reprehendi fingat. Nam scena vitae speculum est, neque vero amussis. Tranio vero postrema sua spe praecisa per mutatum domini consilium, dicentis: *imo hoc primum volo, quaestioni accipere servos*, iterum oratione prae se fert innocentiam: *faciendum edepol censeo*, sed facit, quod extremum est malefici perfugium, ut aram occupet. His utcunque explicatis age videamus, quo modo metra constituenda sint. Versus enim quadragesimi extrema pars luxatis pedibus claudicat; qui sequitur, toto pede truncus est. Hunc ita sanare licet, si praecedentis finem cum initio sequentis copulaveris:

Th. *Iam mane. Experiar, ut opinor; certum est.* Tr. *Mihi hominem cedo.*

Illius autem integritatem verosimili coniectura praestare sic tentavimus:

Th. *Dat profecto.* Tr. *quin et illum in ius ut veniat iube; inveniam.* (h. e. investigabo eum et adducam.)

Nam variae lectiones in scriptis et impressis libris: *iniussu veniam mane*, vel *in ius inveniam mane*, moverunt mihi suspicionem ortae ex concursu plurium similiter sonantium vocabulorum perturbationis. Itaque arbitror, facile fieri potuisse, ut ex duobus illis: *ius ut veniat*, et *iube inveniam*, cum sint literis simillima, a librario non satis attento alterutrum omitteretur, et extrema syllaba in vocabulo *inveniam* absorberet plane particulam *iam*, ex iisdem literis compositam. In versu porro quadragesimo secundo legendum mihi necessario videtur *hominem.* Nam *homines* servi essent ad quaestionem oblati; quorum arcessendorum mentio non fieri debuit in media deliberatione de eo, quid eorum domino faciendum sit, qui Tranioni vel in ius vocandus videtur, vel etiam iubendus, ut ipse aedes poscat mancipio, hoc est, ut aedium possessionem, in quam alter incurrit,

causa ad praetorem delata defendat ac sibi vindicet. Ceterum verba ab initio versus sequentis ita transponenda sunt: *vel iube hominem*.

MERCATOR I. 2, 27 – 33.

Tua causa rupi ramices, iamdudum sputo sanguinem.
Ch. *Resinam ex melle Aegyptiam vorato, salvum feceris.*
Ac. *At tu edepol calidam picem bibito, aegritudo abscesserit.*
Ch. *Hominem ego iracundiorem, quam te, novi neminem.*
Ac. *At ego maledicentiorem, quam te, novi neminem.*
Ch. *Sin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo?*
Ac. *Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quae advenit.*

Facetum huius loci cum aculeo et maledicto leporem a nemine invenimus clare et perspicue expositum. Itaque non inutilem in explicando eo consumemus operam. Latet enim obscuritate satis involuta causa, cur Acanthio, e pulmonibus misere laborans, Charino salutarem medicinam monstranti maledictum exprobret; nec aperitur ea isto Acanthionis argumento: *Apage istiusmodi etc.* Quidquid enim fuerit medicamenti illa ex melle resina Aegyptia, et si vel acerrimos aegrotis dolores attulerit, tamen repugnat rei naturae et rationi, medicum, propterea quod gravem et insanabilem futurum morbum forti ac potenti remedio curari iubet, appellare maledicum; quocunque sensu vocabulum maledictum accipias, ut vel contumeliam verborum, vel diram imprecationem, vel pravam suasionem significet. Oportet igitur Acanthionem istud Charini consilium sibi perniciosum putasse, eaque de causa ita esse iracundia inflammatum, ut diceret: *At tu edepol calidam picem bibito.* Hoc enim videlicet tale fuisset aegri animi remedium, quo omnis dolor in perpetuum abscessisset. Ex quo apparet voluisse Acanthionem par pari respondere, quippe existimantem non salutem sed vitae interitum esse illam viam consilii secuturum, offerrique sibi quasi donum veneno illitum. Est igitur id, quod Charinus dixerat, aliter

quam vellet ab Acanthione acceptum. Ille enim utilem medicinam adhiberi iusserat, hic fraudulento, sed prima specie bono, consilio mortem sibi suaderi optarique putabat. Quae sententiarum diversitas orta est tam e diversa medicamenti illius natura et usu, quam ex ambiguitate vocabuli *salus*, quod modo de iis dicitur, quorum incolumitas est restituta, modo de iis, in quibus est ab omni labe custodita et conservata. Satis enim ab antiquis scriptoribus, inprimis ab Hippocrate et Plinio celebratus est multiplex resinae (a graeco quoque vaticiniorum Ieremiae c. 28. v. 8. interprete commemoratae) in medicina usus; quam quidem vel ex melle, vel vino, vel aqua coctam utiliter adhibuerunt veteres medici, praeterquam aliis morbis laborantibus, phthisicis potissimum et dyspnoicis, quibus prodesse Hammoniacum, quod genus a Plauto Aegyptium recte appellari potuit, Plinius H. N. XXIV. 6. memoriae prodidit. Sed istam salutarem vim non omnibus resinarum generibus promiscue et communiter a natura datam esse observarunt veteres medici, ut ea, quae Sandarache vocatur, interfici adeo equos et quaevis iumenta Aristoteles in Hist. Animal. VIII. 24. statuat. Non igitur mirum est, Acanthionem aversari tale remedium, quod ab imperito medico datum cum vitae periculo sumi fando fortasse audierat. Poterat vero etiam propterea ad iram provocari Acanthio, quod fortasse meminerat illius veterum medicorum artis cadavera, quae servata vellent, melle et resina condiendi*),

*) His enim condimentis magnam inesse vim ad arcendam putredinem ac foetorem vetusta iam antiquitas compertum habuit. Utrumque vel e Plinio cognoscitur, qui L. XXII. c. 24. *Mellis*, inquit, *ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat.* et L. XIII. c. 1. ubi de faciendis unguentis loquitur: *Resina aut gummi adiiciuntur ad continendum odorem in corpore.* Itaque teste Varrone apud Nonium praecepit Democritus, ut melle servarent cadavera; et Agesipolis quidem, Spartanorum regis, cadaver, ut e longinquo domum portari posset, in melle fuisse positum, Xenophon Hellen. V. 3, 19. memoriae prodidit; Alexandri M. vero corpus Hyblaeo perfusum nectare durasse, Statius in Silvis lib. 3. cecinit; Iosephus porro de Bello Iud. l. I. c. 9. de Aristobulo

existimabatque vitae suae exitium per ambages a Charino optari, quippe qui non animati, sed exanimi corporis

---

refert: *ἔκειτο δ' ἐν μέλιτι συντηρούμενος ὁ νεκρὸς αὐτοῦ;* Syros autem resina mortuorum corpora medicata ad longum tempus asservasse Alexander ab Alexandro Gen. Dierr. libro 3. auctor est. Pro melle adhibitam etiam ceram fuisse discimus ex Herodoto L. I. c. 58. e Cicerone Tusc. Qu L. I. c. 45. et e Cornelio Nepote, qui narrationem de vita Agesilai his verbis concludit: *Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.* Sed contradicit Cornelio Diodorus Siculus, qui L. XV. c. 93. corpus Agesilai in melle fuisse Spartam translatum scripsit. Quae duorum auctorum repugnantia ita tolli posse videtur, ut a Cornelio veram quidem rem, sed falsam causam propositam esse putemus, Diodorum autem non mel expressis favis liquatum, sed cera admixtum, intellexisse arbitremur. Nam ceram quidem eam esse materiam, cui medicata illa cadavera, quas Mumias Aegyptio nomine vocamus, suam debeant diuturnitatem, id a Cicerone, quem fictae causae Gothofredus falso arguit, traditum, nuper sagacissimi naturae scrutatoris Granvillii studio et opera denique patefactum est. Is enim Anglus medicus hanc rei inquirendae viam instituit. Revulsas e Mumia ex Aegypto ab A. Edmonstone anno 1821 allata particulas coquendo macerandoque ita tractavit, ut omnem inde ceram expelleret, quo facto extemplo putrefieri coeperunt. Deinde cum easdem partes, sive fibrae essent, sive ossa, nova cera imbuisset, repente cessit et cessavit omnis putredo, similesque factae sunt et specie et natura iis carnibus, quas plures ille peculiari suo artificio unguentatas contra putredinem vel in libero aëre muniverat. Sic ei persuasum fuit, unam ceram, flavam illam ac vulgarem, effecisse ut ista Aegyptiorum cadavera per tot secula durarent, alias vero res, quas multas in iis invenerat, ut myrrham, gummi, resinam, asphaltum, non aequalem habere cerae potestatem, sed ita ad defendendam putredinem corporum valere, ut diu incorrupta servari posse non videantur. Huius memorabilis rei notitiam, haustam e libello Anglico *London and Paris observer*, 1825, divulgavit Gallus quidam, nomine de Ferussac, in libro qui inscribitur: Bulletin universel des sciences et de l'industrie. Partie medicale. à Paris, 1825, Aout p. 378. Quod si vero sint, qui aliorum super ista Aegyptiorum arte sententias cognoscere cupiant, eos ablegandos censeo ad principes de ea re libros, quos illustris Beckius in praestantissimo opere: *Anleitung zur allgemeinen Welt- und Völkergeschichte.* T. I. p. 767. edit. sec. commemoravit; praetereaque non inutilem fore affirmo horum librorum lectionem: Gabrielis Clauderi methodus balsamandi. Ienae 1679. 4. Ioh. Frider. Brebisii disp.

conservationem obscure significaret. Quare promittit Charino aegri animi curationem eadem conditione, qua ille salutis viam ipsi ostendere visus erat. Sed veritate et bonitate consilii mox intellecta, deprecatur tamen eiusmodi medicinam, cuius usum aliquos corpori cruciatus allaturum esse, iure an iniuria, metuebat. Quo quidem metu affectum servum Plautus ideo in scenam produxisse videtur, ut mores eorum hominum, qui salvos se et felices esse sine labore ac molestia cupiant, perstringeret, et medicos simul derideret; quorum artem quibus de causis antiqui Romani damnaverint, a Plinio H. N. 29, 6. est expositum.

MERCATOR II. 2, 13. 14

Salve, o quid agis? quid fit? Dem. *quod miserrimus.* Lys. *Dii melius faxint!* Dem. *Dii hoc quidem faciunt.*

Pro *faciunt* in quibusdam libris legitur *faciant*, Bothius posuit *facient.* Mihi quidem utraque lectio falsa et inutilis videtur. Nam qui se miserrimum esse ducit, is solet diffidere divinae providentiae, et exemplo Antigonae apud Attium ita statuit: iam iam neque dii regunt, neque profecto deum summus rex omnibus curat. Qui sic animo affecti sunt homines, ii non tam facile mutant sententiam, ut audito amici pro salute sua otioso voto statim ad meliorem de diis spem et opinionem convertantur, nulloque idoneo argumento commoti e maxima animi perturbatione ad summam aequitatem repente transeant, dicantque: dii melius facient; quod quidem ei convenit, qui alterius dolorem consolatur (ut apud Terentium in Heautont. I. 1, 109. Men. *utinam ita di faxint.* Ch. *facient*), vel suum consolatus est, neutiquam homini nunc cum maxime consolationis indigenti. Alteram lectionem, *dii hoc quidem faciant*, ex

---

de pollinctura. Erfurti 1695. 4. Iosephi Lanzoni tractatus de balsamatione cadaverum. Genevae 1696. 8. Gottofredi Gerberi dissert. de conditura mortuorum. Francofurti ad Viadr. 1712. 4. Jonae Szent-Peteri disp. de conditione corporum. Halae Magdeb. 1741. 4.

iisdem causis improbandam, insuper propterea reiicimus, quoniam sic satis frigida et ieiuna esset voti ab amico facti repetitio. Sed hoc ipsum votum: dii melius faxint, ansam dedit errori, quo aut *faciant*, aut *facient* scribendum esse a quibusdam temere existimatum est. Non meminerunt enim, istam dicendi formulam nunquam pertinere ad futuri mali deprecationem, nec idem significare, quod *ne dii sirint*, sed ibi usurpari, ubi optetur, ut non verum sit, quod factum esse dicitur. Quam consuetudinem ab elegantibus scriptoribus semper retentam exemplis illustrari non opus est. Apparet ergo nostro in loco Lysimachum, quid acciderit ignorantem, et quod amico male sit dolentem, velle, ut non vera dicat Demipho, quod contra Demipho praesentis suae sibi miseriae conscius, eamque palam professus, sine summa stultitia optare et sperare non potest. Accedit, quod neutra lectio accommodata sit recte cogitandi et eleganter loquendi regulis. Tum enim illud *hoc quidem* referendum esset ad *melius*, hoc porro ad id, quod ille agat *quod miserrimus*. Quis vero audeat dicere: *meliorem facere miseriam?* Itaque mihi non expolire, sed infuscare verborum textum videntur, qui aut *faciant*, aut *facient*, scribi oportere statuant. Sana enim est vetus illa ac vulgaris scriptura *faciant*, quae orationem Demiphonis reddit acutam et ob ambiguitatem sententiae sane quam facetam. Quod enim a Lysimacho in eam sententiam dictum est, quam solam illi formulae: *dii melius faxint*, Latini solent subiicere, id Demipho ita accipit, quasi optetur ut dii meliore, quam ipse, fortuna fruantur. Quem quidem lusum ex ambiguo suppeditavit Plauto graecae linguae peritia, unde magnam Plautinarum dictionum copiam fluxisse constat, et in qua *βέλτιον πράττειν* hoc duplici sensu usurpari solet. Atque sic demum elucet, quam commoda et acerbo sale condita sit Demiphonis responsio, familiariter cavillantis amici inscitiam, qui diis, quos nemo non praestare mortales felicitate noverit, melius esse velit, quam sibi homini miserrimo.

XXIII.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DECIMUM QUINTUM.

AMPHITRUO ACT. I. Sc. I. v. 25.

Sum vero verna verbero. Sos. *Numero mihi in mentem fuit.*

Cum nulla causa sit, cur Mercurius ipse sibi maledicat, seque vernam esse fateatur, cuius tantum imaginem fert, censuerunt quidam, pro vocabulo *verbero* ponendum esse *verbo*, quod in quibusdam reperitur codicibus. Sed ita ex falsa sententia futilis fit atque frigida. Primo enim non erat, cur Mercurius id, quod satis edocti erant spectatores, denuo iis inculcaret; deinde aut non recte se vernam verbo appellabat, qui servitutem suam statim questus erat, aut vana erat querela de servitute simulata; denique non debebat pronomen *ego* a poeta omitti, siquidem Sosiam cum Mercurio comparatum volebat. His argumentis censeo satis defendi vocabulum *verbero.* Pravam autem sententiam arbitror, tanquam detortum pedem, non secando, sed explicando esse corrigendam. Quippe luxatum illud orationis membrum est, quod facillimo negotio sanum facies, si in locum reponas, neque Mercurii verbis perperam adhaerere patiaris. Sunt enim ista verba pars

sermonis, quem Sosia secum habere pergit, quo se ipse damnat ingrati animi ob neglectam deorum venerationem, quos ex itineribus domum reversi ante omnia salutare solebant; cuius quidem officii immemorem merito verberonem appellari ille persuasum habet. Sed huic nequitiae suae accusationi, quam sequentes versus declarant, repugnare videntur illa verba: *numero mihi in mentem fuit*, quae plane contrarium significant. Quidquid enim *numero* fieri dicitur, id non sero et alieno, sed ipso, quo par est, tempore evenire nemo dubitat, eamque vim huic vocabulo propriam esse alio loco a nobis est expositum. (vide Ferculum IX.) Enimvero hunc difficillimum nodum non ab ipso Plauto, sed ab eius interpretibus, impeditum esse, ex antiquis libris licet cognoscere, qui omnes fere pro *numero* habent *nunc vero;* quae haud dubie germana scriptura est, a Lambino demum in peius temere mutata, nisi si scribendi aliquod compendium doctum virum in fraudem impulit. Quodsi auctoritatem optimorum librorum sequimur, expedita est tota huius loci sententia, summoque merito Sosia suam sibi increpat nequitiam, quod *nunc vero*, id est *nunc demum* eius rei, quae omnium prima procuranda erat, recordatus sit. Itaque revocandam ducimus codicis Lipsiensis et editionis principis lectionem: *Sum vero verna verbero; nunc vero mihi in mentem fuit*, nullo laborantem vitio, nisi eo, quod ab initio versus deest nomen Sosiae, quo addito apta oritur sententia, quam in nostram linguam ita transferendam putamus;

Ich bin fürwahr ein Schurke von Haus aus. Jetzt erst kommt mir's in den Sinn.

MERCATOR ACT. III. Sc. I. v. 23. 24.

Lys. *Bonam hercle te et frugi arbitror, matura iam inde aetate,*
Quoniam scis facere officium tuum, mulier. Pas. *pol docta didici.*

Cum docti non vero indocti artem aliquam didicisse possimus, absurda fuerit Pasicompsae oratio dicentis, se

doctam lanificium didicisse. Oportet igitur vocabulum *docta* ablativo casu esse positum intelligique magistram, quae puellam telas facere docuerit. Qua positione licet scriptores interdum, quamquam rarissime, agentium personarum nomina sine praepositione usurparint, Plautus tamen, quod sciam, ad significandum rei cuiusdam auctorem et effectorem nunquam simpliciter usus est. Itaque excidisse videtur praepositio *a*, quae restitui debet non eo loco, quo Douza voluit, sed ante vocem *mulier*, vertendam illam cum codice Lipsiensi in *mulieri*, cui praemissa illa praepositio facile potuit absorberi ab eadem litera in notatione personae PA. quae in antiquissimis editionibus et cod. Lips. recte posita est post *tuum*. Nam mulieris appellatio in fine verborum Lysimachi supervacanea et inanis est, in Pasicompsae autem oratione ad perspicuitatem sententiae utilis et necessaria. Eiecta igitur ista iurandi particula *pol*, quam e vicino PA. natam esse arbitror, ita scribendum esse existimo:

— — — — — PA. *A muliere docta didici;*
Operam accusari non sinam meam.

Quae quidem sententia vide quam similis sit illis Ovidianis, Metamorph. VI. 23. *Scires a Pallade doctam; — certet, ait, mecum: nihil est, quod victa recusem.*

MERCATOR ACT. IV. Sc. III. v. 24.

Haud vidi magis.

Pareus in Plautino lexico hanc esse formulam scripsit, qua ex contrario alicui respondeamus, et acerbe simul irrideamus. Sed in utroque fallitur. Nam qui ea utuntur, non contradicunt, sed assentiunt, nec irrident acerbe, sed serio comprobant et exaugent ea, quae ab alio affirmantur. Id quod omnibus, quae habentur, exemplis clare demonstrari potest. Semper enim verbum *vidi* refertur in ista locutione simpliciter et absque aliqua orationis contumelia ad proxime praecedens nomen, quod vel ore repetitur, vel memoria repetendum est. Ac plena quidem est oratio in illo Amphitruonis

loco II. 2, 47. *Exspectatusne advenio?* Sos. *Haud vidi magis exspectatum;* imperfecta autem et elliptica in Captivis III. 4, 20. *At etiam te suum sodalem esse aiebat.* Tyn. *Haud vidi magis* sc. *sodalem;* item in Poenulo I. 1, 13. *Ignoscere id te mihi aequum est.* Mil. *Haud vidi magis* sc. *aequum.* Similiter in nostro loco post *haud vidi magis* cogitandum est *haerentem,* quia praecesserat, *haeres?* Ad quam iratae mulieris interrogationem, ut hoc obiter moneam, miser maritus tacite non clare respondet; quemadmodum et illa pressis labris dicuntur: *vae mihi! nescio quid dicam.* Facit igitur haec loquendi ratio periphrasin superlativi, nec aliam habet vim, quam adverbium *maxime,* vel *ut cum maxime, ut qui maxime,* quod vernacule ita plerumque exprimitur: *im höchsten Grade.*

PERSA ACT. II. Sc. II. v. 38.

Paegn. *Itane est?* Soph. *itane est?* Paegn. *mala es.* Soph. *scelestus.* Paegn. *decet me.* Soph. *me quidem haud decet.*

Hunc versum tam propter dissolutos numeros, quam ob sententiam in extremo Sophoclidiscae responso, reliquae totius colloquii naturae et concinnitati minime aptam, integrum et incorruptum esse nobis persuadere non potuimus. Tota enim oratio, cuius haec sunt membra, ex eo genere est, quo paria paribus referuntur, quodque Cicerone iudice habet interdum vim, leporem alias (de Orat. III. 54.), cum in ceteris verborum contentionibus, tum maxime in petulanti iurgio, quo vel serio vel iocose rixantes inter se lacessunt. Leporem quidem in eo positum, quod levi verborum commutatione aut transpositione idem de disparibus personis dicitur; vim autem ad irritándos rixantium animos ita acommodatam, ut mentes vincere obstinatas nihil acrius mordeat; cuius rei testis est Gnatho ille apud Terentium, in Eunucho III. 1, 55. *par pro pari referto, quod eum mordeat.* Hunc vero aequabilem sermocinationis in nostro loco tenorem turbant Sophoclidiscae illa: *me quidem haud decet.* Qua mente si erat mulier, debebat per pudorem

coepto deiici et contumaciae finem facere; quod adeo non facit, ut abire eam iubeat Paegnium his verbis v. 41.: *par pari respondes dicto; abi iam, quando ita certa res est.* Quare non dubitamus, quin ancilla ad id quod puer dixerat: *decet me*, simile quid reddiderit, quod opinor hoc fuit: *me haud dedecet.* Ac neminem mirari conveniet, illam fateri suam turpitudinem, cum bonis etiam sed litigiosis et pugnacibus hominibus proprium sit, famam potius quam causam suam in periculum adducere; mali autem, qui nihil se habere putant, quod de existimatione perdant, omnia sine famae detrimento dicere sese et facere posse existiment. Quae cum ita sint, numerorum in hoc versu integritatem et sententiarum veritatem ita restitui oportere censeo, ut scribamus:

Paegn. *Itan' ést?* Soph. *ita est.* Paegn. *mala és.* Soph. *scelestu's.* Paegn. *mé decet.* Soph. *me haud dédecet.*

RUDENS ACT. II. Sc. III. v. 33.

Credo, hercle, anancaeo datum quod biberet.

Longum est et inutile proferre varias doctorum virorum de hoc loco opiniones, quae tam arbitrariae idoneisque rationibus destitutae sunt, ut impedire potius quam adiuvare commodam interpretationem videantur. Nam ipsa illa, quam proposui ex editione Reizii, lectio *anancaeo*, a Lambino ex incerta scriptura codicum concinnata, ea etsi speciem et figuram habeat veri vocabuli, tamen a me ut probetur non prius impetrabit, quam didicero, an omnino aliquod et quale poculum veteres anancaeon dixerint. Id nemo hucusque docuit: nec ii loci, quibus Casaubonus, Gruterus, aliique illustrare obscurum vocabulum studuere, quidquam ad rem pertinent. Ac nobis quidem videtur dubiae in hoc loco lectionis origo deberi librariorum inscientiae, quos, licet illi saepissime alienae socordiae culpam sustinere cogantur, multorum tamen in latinos scriptores illatorum vitiorum crimine ob graeci sermonis ignorantiam merito arcessendos esse, inter eruditos constat. Ex hoc autem

fonte id, quod in huius loci verbis vitiosum est, fluxisse videtur, si quidem Plautus latinae orationi pro more suo graeca intertexuit, quorum manifesta in variis illis lectionibus *ananceo* et *anacaeo* extant vestigia. His institere plerique interpretes non satis bono successu, haud dubie meliorem habituri, si secuti essent auctoritatem codicum Vindobonensis et Lipsiensis et primae omnium editionis, in quibus *ananeo* legitur, in quo vocabuli monstro ego oculorum obtutum cum animi cogitatione defigens videor mihi quasi per transennam videre *encaneo*, quod graecis literis scriptum ἐν κανέῳ offert medicinam huic loco sane quam saluberrimam. Nempe tota festivitas verborum ab Ampelisca dictorum inest in lepida allegoria, qua leno undis suffocatus cum homine vino sepulto comparatur, et res natura sua atrocissima ad risum atque iocum traducitur; quasi Neptunus Labracem non perditum, sed convivio exceptum cupierit. Ad cuius rei cogitationem perducitur Ampelisca cum Labracis ipso nomine, quod voracem significat, tum facta mentione modi, quo ille perierit, quippe potando. Utrumque porro excitabat in animo Ampeliscae memoriam Herculis, quem nimis edacem ac bibacem risus faciendi gratia in scenam poetae inducere solebant. (vide Eurip. Alcest. 753 sqq. et Wartonium ad Theocritum XXIV. 136.) Itaque illa utitur hac opportuna similitudine ad deridendam profundam lenonis gulae mensuram, cui explendae non modica sufficerint pocula, sed quasi Herculi ἐν κανέῳ datum sit, quod biberet. Qua quidem faceta sententia ita oblectatur Trachalio, ut exclamet: *ut ego amo te, mea Ampelisca! ut dulcis es!* etc. Nam his demum verbis excipit Ampeliscae sermonem Trachalio, cuius nomen ab initio versus omnes melioris notae libri recte omittunt. Plus igitur quam verosimile mihi videtur, Plautum ita scripsisse:

Credo Herculi ἐν κανέῳ datum quod biberet. Tr. *Ut ego amo te!*

Nec est, cur aliquis in vocabulo κάνεον offendat, quo viminea maxime, sed et alia eiusdem quidem formae,

solidioris autem materiae vasa ex argilla vel aere facta graeci poetae eadem licentia appellarunt, qua latini *calathos*, e viminibus plerumque contextos, ea quoque vasa nominarunt, quibus lac vel vinum infunderetur (vide Virgil. Eclog. V. 71. *vina novum fundam calathis Ariusia nectar.*). Nihil enim ad id, quo spectat iocus, interest, ex qua materia vas factum cogitetur; sed hoc plurimum ad risum excitandum momenti affert, quod leno ille ex amplissimo maris alveo, quasi Hercules sitis impatientissimus e spatioso catino, bibisse dicitur. Quod autem particula *quasi* vel *tanquam* omittitur, id factum est ex lege *ἀλληγορίας*, quae, quo acrius figurata oratione moveatur animus, manifesta comparationis indicia vitari iubet. Iam ita totum locum vertendum arbitror:

Doch wo ist jetzt der Kuppler Gierig? Amp. *Ich glaube,*
er starb am Trunke.
Mit grossen Bechern hat Neptun ihn diese Nacht
bewirthet.
In Humpen ward gewiss geschenkt dem Herkules. Trach.
Du gefällst mir,
Weil du so süsse Worte sprichst, du süsse Ampelisca!

STICHUS ACT. I. Sc. III. v. 103.

Linguam quoque etiam venditariam.

Sermonem latinum longa doctorum virorum opera nondum satis expurgatum esse docent innumera exempla vocabulorum, quae licet dubiae et suspectae sint fidei, tamen in eos libros, quibus totus orationis penus iuventuti exponi solet, sine tessera hospitaliter accipiuntur. Huius generis vocabulum est *venditarius*, quod a nullo scriptore usurpatum reperitur, in hoc autem Plautino loco ob variam lectionem et imperfectam sententiam idoneo destituitur firmamento. Quare non iniuste illud exterminatum est a Bothio, ne impediret, quo minus ille ruinosum versum reficeret. Sed quod idem vir doctissimus integritati versus ita prospectum voluit, ut scribatur: *linguam quoque etiam vendidi datariam*, id propterea probare nequeo, quia non intelligo, quid sit

lingua dataria. Nam loco illo in Pseudolo IV. 2, 13. in quo legitur *salus dataria*, non vincitur, eodem modo dici posse linguam datariam. Salutem enim datariam poeta novo modo pro *salutatione* dixit, quo sensu propter notissimam illam formulam *salutem dare* facile a quovis poterat accipi: sed *linguam dare* per se solum nihil significat, ideoque *lingua dataria* inanis verborum sonus est. Et si in iliis huius loci verbis: *negato esse quod dem*, id est, *quod dare possim*, causam istius locutionis tibi reperisse videaris, vide ne ignores vim verbalium eiusmodi adiectivorum in *arius* desinentium. Talia enim nomina non significant id, quod ab aliqua re vel in ea ita agitur, ut semel et casu accidere *possit*, sed quod alicui rei per naturam proprium est, ob quam hoc nec aliud pati vel agere *solet*. Sic *statarius*, *gradarius*, *causarius*, *emissarius* non is est, qui *potest* aliquando stare, gradatim incedere, causari, emitti, sed cui haec attributa ita peculiaria sunt, ut iis tanquam insigni quodam agnoscatur, et ab aliis discernatur. Nec alia potestate usurpavit Plautus huius formae vocabula, ut *admissarius*, Mil. IV. 3, 19. *ferentarius*, Trin. II. 4, 55. *sedentarius*, Aulul. III. 5, 39. *sectarius*, Capt. IV. 2, 40. His de causis non iniuria displicuit nobis lingua ista dataria, quam aegre patimur occupare alieni loci possessionem; de qua licet eam revocato vetere possessore depellere nequeamus, tamen ob iniuriam vicinitatibus illatam velimus, ut sponte cedat. Quodsi vero locus non vacuus relinquendus est, et versum, ne lacuna appareat, interpolari oportet, committam prudentiorum iudicio hanc qualemcunque meam coniecturam, ex qua poeta forsitan ita scripsit: *Linguam quoque etiam venditavi iam meam.*

STICHUS ACT. III. Sc. II. v. 41.

Perii hercle vero plane, nihil obnoxie.

Quandoquidem non est turpe parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse, non gravor pristinam meam super hoc loco sententiam damnare et

meliorem, ut nunc videtur, proponere. In qua re ne idem mihi, quod grammatico apud Gellium VII. 7. accidat, ut iis deridiculo sim, qui facilius dicere possunt, quare aliquid falsum, quam quare verum sit, non originem solum vocabuli *obnoxius*, ad quod a multis maxime sudatum est, explicabo, sed significationum quoque varietatem recensebo. Existimo igitur obnoxium aeque quam obnoxiosum proprie dici eum, *qui ob noxam est*, hoc est, qui noxae affinis est, ita quidem, ut aut ipse noceat nocueritve (Columella II. 18. *Omnes lapides et si qua obiacent falcibus obnoxia, colligi debent ac longius exportari.*), aut ut ipsi ab alio noceri possit. Hinc fluunt ceterae significationes. Nam qui in noxa est, *obligatus* est poenae ob delictum, ergo *subiectus* ei, qui poenas potest sumere, eaque de causa *timidus*, et eodem *summissus et cedens atque obediens potentiori.* Idem indicat adverbium *obnoxie*, quod, ut recte monuit Gellius, ab obnoxius sola declinatione, non re atque sententia differt. Verum enimvero quoniam nulla istarum significationum apta est illustrando Plautino loco, Acidalius in auxilium vocavit similem in Epidico V. 2, 30. dictionem: *Nihil vero obnoxiose;* quibus verbis existimat Periphanem ita iuberi manus colligare Epidici, tanquam ei sit obnoxius, in obnoxii morem, ut ei quasi pareat; eaque opinione inductus Acidalius dicit: *obnoxie perire* significare *quasi clementer.* Hanc docti viri interpretationem Gronovius, laudata auctoris eruditione, accipere tamen dubitavit propterea, quod in illo altero loco *obnoxiose* ipsi potius esse videretur idem, quod *timide* et *trepidanter*, ideoque *nihil obnoxie* debere significare *nihil dubie.* Sed cum idem vir sagacissimus intelligeret, opinor, quam absurdum esset dicere, *non dubitanter*, i. e. *non verecunde perii:* prudenter quidem indicavit, illud *obnoxie* non debere cum verbo *perire* coniungi; in eo autem manifesto erravit, quod Plautum in vocabulo *obnoxie* lusisse opinatus est, ita scilicet, ut poeta obnoxium pro humili acceperit, volueritque respici ad humilia loca, quae plano sint depressiora. Tam misera enim iocorum fatuitas vel infimae plebi stomachum magis, quam risum moverit.

Restat igitur, ut videamus, an ope primae, quam vocabulo *obnoxius* inesse diximus, significationis, expedire possimus utriusque loci Plautini difficultatem. In Sticho igitur videtur nobis Gelasimus verbis illis *nihil obnoxie* indicare voluisse doloris ex negata coena concepti causam gravissimam, nempe quod istud infortunium sibi innocenti accidat. Id dixit poeta breviter, omisso vocabulo *faciens;* cuius verbi ellipsin optimis scriptoribus constat solennem esse in ea oratione, qua negant aliud, praeter id quod narrant, factum esse, eaque non solum sic utuntur, ut diversa comprehendantur una dictione et verborum structura e. g. Corn. Nepos in Agesilao c. 2. *Tissaphernes nihil aliud, quam bellum comparavit.* et Livius VI. 41. *Quid aliud, quam tollit ex civitate auspicia?* sed etiam sic, quod multo rarius est, ut id, quod negatur, cum eo quod praedicatur, non inexplicabili verborum serie cohaereat; e. g. Cicero ad Famil. XII. 1. *Adhuc ulta suas iniurias est respublica — nihil amplius;* et de Finibus V. 21. *Sed virtutem ipsam inchoavit; nihil amplius;* idem Livius V. 43. *Adversus quos Romani nihil temere nec trepide — qua signa ferri videbant — scandere hostem sinunt.* Quae posterioris generis exempla facile mihi persuadent, ut eandem verbi *facere* ellipsin in Plautino loco agnoscam, et Gelasimum id maxime conqueri putem, quod sibi nihil merito misera fame pereundum sit. Iam quod alterum in Epidico locum attinet, sane dubium est, quae vera fuerint poetae verba, et quomodo luxatos numeros in ordinem redigere debeas; sed tamen apertum, quo sensu illa accipienda sint: *nihil vero obnoxiose.* Quidquid enim de veritate lectionis sequentium verborum: *facto opere arbitraminor* statuas, id certe elucet, significari iis sententiam de aliqua re finito opere ferendam. Illa autem res, cuius differtur indicatio, indicatur ista formula: *nihil vero obnoxiose;* ad quam quidem, sed aliter intellectam, Lambinus quoque ea, quae sequuntur, relata voluit. His vero verbis, nisi me omnia fallunt, Periphanes ab Apoecide versu 25. admonitus, cavere vult, ne sibi fraudi sit praestatum callido mancipio suo obsequium. Accingitur igitur ad

colligandas Epidici manus cum hac conditione, ut nihil ea res noxae futura sit (ut Livius XXXIV. 19. dicit); quam tamen conditionem nec accipit astutus veterator, nec recusat, sed eius rei eventum finito opere ait manifestum fore. Quocirca illud *nihil obnoxiose* similiter atque in Sticho, sed passiva quam dicunt potestate, accipiendum esse censeo, quasi dicat: *Ita hoc*, *quod iubes*, *facio*, *ut nullum patiar noxam*. Quae si vera fuit poetae sententia, licuit ei optimo iure omittere verbum *facio*. Sed dubito, an omittere noluerit. Nam cum ad integr'tatem illius versus totus desideretur pes, cumque librarii in eo saepissime peccaverint, quod vocabula similiter sonantia properantes transmitterent; mihi quidem plus est, quam verosimile, a Plauto ita fuisse scriptum:

Per. *Nil vero obnoxiose facio.* Ep. *facto opere arbitraminor.*

aut cum libro Camerarii *arbitramino*. Ceterum ad eruendam poetae voluntatem haud parum interest, quo modo illius loci verba inter personas colloquentes distribuas. Nos quidem hac in re secuti sumus auctoritatem Lipsiensis codicis, cuius unius ope hunc salebrosum locum ita percurrere potes, ut in nullo saxo, quae multa ostentare longum est, adhaerescas. Id quod ex hac vernacula trium versuum interpretatione elucebit.

Per. *Nun so gieb die Hände her.* Ep. *Sie zögern nicht; und binde fest.*
Per. (noch zaudernd) *Aber ohne meine Gefahr.* Ep. *Das wird sich zeigen nach der That.*
(er wird gebunden) *So ists gut. Wohlan, nun frage mich aus, und frage, was du willst.*

XXIV.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

SEXTUM DECIMUM.

TRUCULENTUS ACT. III. Sc. II. v. 3 et 4.

Post illoc venio, quam advenit, si dis placet,
Ad villam, argentum meo qui debebat patri.

Ut homini cum deo per omnia bene conveniat, in eo arcem esse virtutis positam, id recta quemque docet ratio, omnesque sapientes humani generis magistri uno ore praecipiunt. Itaque probis et honestis viris cum adversitatum absque sua culpa obvenientium grave est solatium, quod deus ita evenire voluerit, tum consiliorum capiendorum exsequendorumque una ac perpetua conditio, si deus ita voluerit. Quam religiosam animi sententiam tacito pectore semper inclusam tenere nec unquam libere profiteri, non minus est mentis improborum hominum offensionem stulte verecundantis signum, quam quovis loco atque tempore cantare, et minimis etiam rebus dei auctoritatem inserere, ambitiosae aut sollicitae pietatis indicium. Quidquid autem sit, quod homines impellat, ut suam cum deo consensionem aut occultam habeant, aut palam prae se ferant; certum tamen est, eum, qui aliquid factum velle dicat, si deo placeat, hoc ideo dicere,

ut divinam voluntatem sequi se, eamque suae sententiae lubenti animo praeponere videatur. Probant igitur, certe probare simulant, divinam rerum humanarum gubernationem, qui in commemorandis vel suis vel aliorum consiliis formulas illas, *si deus vult*, *si deo placet*, praefantur, nec possunt, ut verba faciunt, existimari aliter, quam boni ominis causa, ita locuti esse. Nam cum placere de eo dicatur, quod aliquis, quia bonum et utile videtur, faciendum statuit; non potest is, qui aliquam rem hac conditione divino permittit arbitrio, non laudandam probandamque eam iudicare. Hoc simplici atque pio sensu loquentem inducit Plautus in Capt. II. 3, 94. Hegionem patrem: *Expedivi ex servitute filium, si dis placet;* nec in aliam sententiam in Poenulo IV. 2, 88. haec a Milphione dicuntur: *Quin hercle collibertus meus faxo eris, si di volent.* At mira dicendi consuetudine, nulli populo, quod sciam, praeterquam Romanis propria, accidit, ut verba haec: *si diis placet* (altera enim formula, *si dii volunt*, nusquam sic usurpatur) plerumque, contra quam significant, accipienda sint, animumque cum divinis institutis dissentientem, eaque negligentem aut accusantem testificentur. Qui enim dicunt *si diis placet*, hoc ita dicunt, ut sibi quidem ipsis rem non placere velint intelligi. Manifesto igitur inest illi formulae ambitiosa pietatis calumnia et contumelia; a qua cum honesti viri utique abhorreant, oportet eos, quando ita loquuntur, non vere atque ex animo, sed simulate dicere. Est vero ea non intelligendi simulatio, qua quis, probe et certo sciens, quid affirmandum quidve negandum sit, fingit dubitare se, an recte statuat, cum humanam prudentiam praeponderet divina ratio et sapientia. Ac tantum abest, ut ista simulatio rem, de qua agitur, incertam reddat, ut, quae sit dicentis sententia, clarissime emergat. Ubicunque enim formula ista in ironia ponitur, necesse est, id, quod diis placere posse dicitur, ab eo, qui dicit, negari et improbari, idque propterea, quia omnis ironiae vis in eo est sita, ut contraria contrariis significentur. Iam cum omnia mentis humanae iudicia eo pertineant, ut intelligatur, qualis

quaeque res sit; sequitur, ut formula, si diis placet, pro diversitate eorum, quae praedicentur, diverso modo explicanda sit. In quo negotio non satis feliciter versati sunt antiquorum librorum interpretes idcirco, quod neglexerunt indagare, quid quoque in loco quaereretur, utrum rei veritas, an bonitas, an utilitas, an necessitas, an alia; quodque formulam illam habere separatam, non vero aptam ex ea, cui interponitur, sententia vim existimarunt; quod denique nullam habuerunt rationem temporis, quo illud, quod negatur, vel evenire, vel evenisse, vel eventurum esse dicitur. Haec omnia observanda esse ei, qui recte interpretari illam formulam velit, haec exempla docebunt: Terent. Eunuch. V. 3, 9 et 10. *Virum bonum eccum Parmenonem incedere video. Vide ut otiosus it, si dis placet.* Haec ita verto: „Da kommt ja, wie ich sehe, der schöne „Parmeno. Sieh wie er geht so sorgenlos, wer's glauben „will.“ Otiosus enim h. e. omni cura et sollicitudine vacuus videbatur Parmeno; sed esse non credebat Chremes, ob malam conscientiam fraudulentorum consiliorum, eorumque incertum periculosumque exitum. Simili modo intelligenda sunt illa apud Livium IV. 3. *Quin etiam, si diis placet, nefas aiunt esse, consulem plebeium fieri.* „Sie sagen sogar, was nicht wahr, nicht denkbar ist, „es wäre Sünde einen Plebeier zum Consul zu machen.“ Esse autem veram hanc formulae vim, id vincitur loco eiusdem scriptoris illo XXXIX. 28. ubi cum praecesserant haec: *si diis placet*, „was nicht wahr, nicht der Fall ist“ sequitur: *id ego aliter iudico esse.* His igitur tribus locis de veritate rei dubitatur; alio in Terentii Adelphis III. 4, 30. de honestate. Hegio enim, gravissime accipiens perfidiam Aeschini, qui violata fide Pamphilae data animum ad psaltriam applicaverit, indignitate rei commotus in media facinoris commemoratione exclamat: *si dis placet*; quod perinde valet, tanquam diceret: o indignum facinus, quod nemo homo probet; an diis placeat, nescio. „Der Biedre hat, o Schandthat, eine Sängerin uns zugebracht.“ Similiter apud Livium XXXVIII. 47 et XL. 23. *si diis placet*, idem valet ac: quod turpissimum, neque ferendum est. Porro apud

Quinctilianum in illo loco I. O. VIII. 3, 44. *Ductare exercitus et patrare bellum, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet,* agitur de eo, utrum aliquid iure meritoque fiat, nec ne. Haec vero hunc sensum habent: „Was Sallust mit rei„nem Sinne und in altem Stile gesagt hat, darüber „lachen wir; aber mit Unrecht.“ Ita Livius quoque hac formula usus est XXXIX. 36. Usurpari vero eam tum quoque, cum de eo sermo est, quod possit fieri, perspicitur ex his verbis Livii XI. 13. *Volui interdiu eum post lustrationem, quum concurrimus, et quidem, si diis placet, lustrationum die occidere.* „Ich soll ihn „haben umbringen wollen bey hellem Tage nach der „Musterung, als wir zusammenkamen, und zwar, wer „das für möglich hält, am Musterungstage selbst.“ Etiam de eo, quod fieri volumus, ita dicitur: Liv. VI. 40. *L. illum Sextium et C. Licinium perpetuos, si diis placet, tribunos.* „Jene, was ich nicht fürchten will, „immerwährende Tribunen.“

His ita explicatis satis enodata erit, ut opinor, difficilis solemnis illius, sed passim obscurae formulae intelligentia; quae licet multiplicem singulisque locis proprium habeat usum, semper tamen eo valet, ut is, qui ea utatur, sententiam orationi suae contrariam in aliorum animis excitare velle videatur. In qua re ad vim et potestatem formulae penitus sentiendam et accurate aestimandam magnopere refert scire, utrum aliquis suam, an aliorum, apud quos verba facit, opinionem proponat. Etsi enim in plerisque locis is ipse, qui dicit aut scribit, displicere sibi ea, quae diis placeant, declarat; inveniuntur tamen loci, ubi non e sua, sed ex aliena persona loquitur, remque eam haberi vult, de qua legentium aut audientium animi facile dubitare possint. Quod cum interpretes non animadverterent, factum est, ut in eiusmodi locis aut explicandis frustra laborarent, aut corrigendis inutilem insumerent operam, dum istam formulam cum alia: *sic diis placet*, praecipitato iudicio commutarent. Licet enim utraque formula hoc habeat commune, ut rem, cui addatur, dicentis voluntati repugnare significet;

tamen hoc inter se differunt, quod qui dicunt: *sic diis placet, sic voluere, ita diis visum est*, pie ac modeste iudicium suum de rebus praeter spem voluntatemque suam cadentibus suspendunt, ac divino numini rite concedunt; qui vero dicunt *si diis placet*, fortunae obirati rem aliam esse oportere confidenter statuunt. Hoc igitur per dissimulationem et salse dicitur, illa aperte et sine ironia. Sunt autem duo maxime insignes loci, quibus docti viri incommodam hanc medicinam adhibere studuerunt. Unum apud Florum III. 4. inveneris, ubi haec leguntur: *Post Macedonas, si diis placet, Thraces rebellabant, ipsi quondam tributarii Macedonum.* Hic loci, quoniam solemnis illa formula sine ratione posita videbatur, amplexi sunt nonnulli lectionem: *sic diis placet*, a quibusdam editis scriptisque libris oblatam, sed praepostere. Nulla enim causa erat, cur Florus Thracum rebellionem omnino doleret, atque adeo magis quam Macedonum, eumque dolorem memoria divini rerum regiminis mitigaret. Id quod haud dubie intellexit Freinshemius, qui assentiente Dukero retinuit illam *si diis placet* formulam, cuius quidem veram in hoc loco vim suboluisse viro sagacissimo patet ex facta comparatione cum verbis eiusdem scriptoris III. 1, 1. *Quis speraret post Charthaginem aliquod in Africa bellum?* sed quo iure illam retineret, id ostendere supersedit. Nos persequemur eius reliquias. Nempe Florus existimandus est non ipse dubitare aut negare, quod factum sit, sed dubitationem de veritate rei aliorum, quibus narraturus est, nomine eloqui. Fingit igitur se eo esse in loco, quo futuros videt eos, qui Thraces quoque rebellasse legerint. Quam rem quia omnem paene fidem superare intelligit, loquitur more eorum, qui mira et vix credibilia relaturi hac aut simili praefatione assensum captant, animosque ad fidem sibi habendam praeparant. Itaque hic ista formula: *si diis placet*, eandem habet vim, quam haec: *quod incredibile dictu est*, respondetque vernaculis: *was man kaum glauben sollte! sollte das ein Mensch glauben? es ist kaum zu glauben! es ist unerhört, höchst sonderbar!* Quam vim ut plane perspicias, cogita in mente ita dicentis hanc

latere consummatam sententiam: *Quaerat aliquis: num hoc fieri potest? — Quidni? si diis placet, qui possunt omnia.* Atqui hunc sensum, quem nos etiam in Livii verbis XXXIV. 2. *Nos, si diis placet* etc. invenisse putamus, subiiciendum esse illi formulae in Plauti Truculento III. 2, 3. obviae, nobis est persuasissimum. Hic enim locus, cuius dilucidandi causa totam hanc disputationem instituimus, alter est, in quo nonnullis visum est, pro *si diis placet* necessario scribendum esse, *sic diis placet*. Sed manifesto errarunt. Non enim agitur ibi de re, ob quam aliqua offensi animi consolatione opus erat; sed gratissimus acciderat Strabaci hominis cum argento adventus. Qui cum minime exspectatus, maxime autem tempestivus et miraculi similis esset, Strabax, rem spectatorum fide maiorem narraturus, utitur ea formula, qua incredibilem rem commemoraturi, occupando et communicando aliorum admirationem, occurrere molestis sibi dubitationibus studebant. Ad hunc igitur modum in nostram linguam transferendus est ille locus:

Nachdem ich dort bin, kommt (unglaublich ists od. wie sonderbar!) ein Mann
Aufs Gut, der Geld an meinen Vater schuldig war
Für Tarentiner Schaafe, die ihm der verkauft.

Ceterum non audiendum esse Bothium in his verbis: *Post illuc venio quam, advenit* etc. tmesin paullo audaciorem sed a veterum poetarum licentia minime abhorrentem, et ab Acidalio recte agnitam, damnantem textumque ita constituentem: *Post illa venio; quom advenit*, hoc sensu: *Postea redeo, cum advenit*, res ipsa docet. Etsi enim venire nonnunquam pro redire dicatur, vereor tamen, ut hoc loco recte sic poni potuerit; quia adolescentem, priusquam de reditu suo narraret, oportebat dicere, quid de mandato patris fecerit. Quod si brevitatis causa praeteriri videatur, repugnat tamen sermones conferri potuisse a duobus hominibus eo tempore, quo alter ad urbem rediret, alter ad villam veniret; nisi hoc in media via factum censeas, quod

Plautus vitandae ambiguitatis ergo haud dubie planius dixisset.

PERSA. ACT. I. Sc. I. v. 46.

Nempe habeo in mundo.

Antiquos formulam illam: *in mundo esse* usurpasse Festus scribit tum, cum aliquid in promtu esse vellent intelligi. Hanc grammatici interpretationem falsam esse, hic Plauti locus manifesto argumento est. Opponitur enim id, quod *domi sit*, ei, quod *in mundo habeatur;* hoc ita dicitur, quia *quaerendum* sit, illud tale esse dicitur, quod quis *statim polliceri* possit. Tantum igitur abest, ut *in mundo* id significarit, quod Festus ait, aut idem valuerit ac *palam, in expedito, cito,* quod Charisio placuit, ut plane contrariam vim habuisse, atque ab iis usurpatum esse videatur, qui aliquam rem esse quidem uspiam in natura rerum et orbe terrarum non negare vellent, sed iidem indicare, rem inventu aeque difficilem, atque ea sunt, quorum certum in amplissimo mundo locum monstrare nequeas. Atque omnino nulla afferri potest ratio, cur ea, quae in mundo sint, in promtu potius esse, quam non esse putentur; quippe cum rerum habendarum opportunitates non ex eo, quod *sint*, sed quod *praesentes* et *ad manus* sint, pendeant. Itaque si quis rem in mundo *sibi* esse dicit, is, si serio loquitur, statuit quidem posse se eius fieri participem, sed quando id futurum sit, non decernit; sin ioco et irrisione utitur, ostendit, non propiorem se putare aut spem, aut metum eius rei, quam facultas sit eorum, quae, in quo mundi angulo quaerenda sint, nescias. Harum significationum alterutram si locis Plautinis, in quibus ea formula deprehenditur, subieceris, plana omnia et dilucida apparebunt. Ac primi quidem generis sensum habet illa locutio in his locis: Casina III. 3, 3. *in eum diem, quo* (ita legimus pro *cui* aut *quoi*) *quod amet in mundo siet;* quod idem valet ac si diceret: *quo ei sit mulier, quam amare possit.* Praesto autem esse amicam amatori non sequitur ex eo, quod illa in mundo sit; sed ex stato condictoque

cum ea die, cuius disertam fecit poeta mentionem: *in eum diem quo.* Itaque haec ita in vernaculum sermonem vertimus:

Es ist sehr grosse Thorheit meiner Meynung nach,
Wenn ein Verliebter geht um vor Gericht zu stehn
An einem Tage, wo es was zu lieben giebt.

Similis est locus in Asinaria II. 1, 16. *Aut mihi in mundo sunt virgae, aut atriensi Saureae.* Hic verba illa: *mihi in mundo sunt*, nequaquam eandem habere potestatem, quam illa dictio, *in promtu mihi sunt*, docet latini sermonis consuetudo, ex qua in promtu esse aliqua res ei homini dicitur, qui ea utitur, nunquam ei, contra quem adhibetur. Nihil vero aliud dicit Libanius, quam aut sibi aut conservo suo esse metuendum virgarum supplicium, quippe quae ob commissum a se facinus suo quoque tergo natae sint.

Ganz gewiss, so viel ich aus der Vorbedeutung schliessen kann,
Giebt es Ruthen, die mich treffen, oder den Hausmann Saurea.

Eandem sententiam habent illa, quae leguntur in Pseudolo I. 5, 85. *Pistrinum in mundo scibam, si id facerem, mihi.* „*Ich wusst', es gäbe für mich ein Stockhaus, thät' ich das.*" Ubi ea, quae sequuntur, perspicue demonstrant, eas res in mundo esse dici, quas quis sibi eventuras esse aut possit exspectare aut debeat; sed quam mox exspectandae sint, ista formula non significatur. Sensus enim duorum proximorum versuum hic est:

Und dass von mir das Stockhaus zu erwarten war,
Wenn du's verschwiegst? Pseud. *Das wusst' ich.* Si. *Was verschwiegst du mir's?*

Iam vero cum omnia, quae in mundo sunt, vel naturae beneficio, vel hominum artibus ad humanos usus parata reperiantur, licet istam formulam, *in mundo esse*, quae proprie verti debet: *vorhanden seyn*, *existiren*;

sich finden, si cum dativo personae iungatur, etiam his verbis explicare: *einem bevorstehen*, *einem zu erwarten stehen*. Exinde vero oritur orationis ambiguitas, quam inesse verbo exspectare novimus ex illo patris responso, qui filio neganti se exspectare patris mortem, dixerat: Imo vero exspectes. Longinquam enim, non propinquam, spem facetus pater innuebat. Eodem modo luditur quandoque in scena ab hominibus, qui dum significare volunt, incertam, dubiam atque adeo nullam sibi esse alicuius rei spem, in mundo eam esse sitam dicunt. Hic sensus est verborum loci in Epidico V. 1, 12. Str. *Habe bonum animum.* Ep. *Quippe ego, quoi libertas in mundo sita est.* Quae sic vertimus: Str. *Sey nur ruhig!* Ep. *Freylich ich, der auf die Freyheit warten kann*, od. *der die Freyheit zu erwarten hat.* Similis ironia inest verbis eius loci, quem superius interpretari coepimus. Continent enim illa irrisionem amici, spem inveniendae pecuniae in dubia creditorum ope reponentis, sed tectam illam et involutam ambigua locutione: *Da kann ich also welches erwarten*, quod hic idem valet, ac si diceret: *Nun da kann ich lange warten.* Quam ambiguitatem non sentiens doctissimus Douza mutavit *habeo* in *habes*, eaque mutatione incidit nervum totius sententiae, quae non eo tendit, ut Sagaristioni exprobretur paratae pecuniae retentio, sed ut inveniendae appareat diffidentia ac desperatio; cuius causam a se remoturus et amici dolorem levaturus Sagaristio bonam suam voluntatem declarat his verbis: *Si id domi esset mihi, iam pollicerer.*

Triplex igitur illius formulae, *in mundo esse*, usus est. Primo enim significat idem, quod verba sonant; deinde dicitur de eo, quod alicui exspectandum est; denique usurpatur ad declarandam rei nanciscendae nullam, saltem exiguam, fiduciam. Sed ipsius vocabuli mundus variae significationes abduxerunt grammaticos ad argutas illius formulae interpretationes, quarum illa, quam acutissimus Gronovius dedit, satis quidem ingeniosa, sed neutiquam vera videtur. Nam cum ille *in mundo esse* dici pro *paratum esse* ita arbitratus est, „uti quae munda habemus, veluti chartam, vestimentum,

ferramentum, quibus statim, ubi necessitas inciderit, uti possimus, nec exspectandum est, dum mundentur;“ non meminit vir sagacissimus, earum, quas commemoravit, aliarumque rerum praesentem usum non semper a munditie pendere, alioque loco et tempore mundis rebus aeque utiles, interdum utiliores, esse immundas. Paene vero ridicula sunt, quae apud Forcellinum reperies: „Videtur autem ductum a mundo muliebri, quia quae ad corporis cultum pertinent, omnia mulieres in promtu habent, conduntque diligenter, ut praesto ad usum semper sint.“

MOSTELLARIA ACT. II. Sc. III. v. 27.

Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam.

En tibi novam occasionem eluendarum sordium, quibus grammaticorum inscitia Plautinum sermonem inquinavit. Indigne enim per vim offertur castissimae latinitatis auctori hybridae vocis vitium, a quo illum alienissimum esse alio tempore demonstravimus. Atqui, si Varronem audimus, vocabulum *congerro* derivandum est a *gerra*, quod graecum sit et latine cratem significet. Cum quo consentit Nonius, qui *gerras* interpretatur *nugas* et *ineptias*, verbisque illis e Persa I. 3, 9. *Iam pol ille hic aderit, credo, congerro meus*, explicationis causa haec addidit: *ut collusor meus, qui easdem exercet nugas;* adiecto loco Coelii in Portitore: *Cur depopulator gerrae.* Causam vero, quare leves et inepti homines a vimineis cratibus dicti sint, Festus sub v. *gerrae* hanc affert: „Athenienses cum Syracusas obsiderent, et crebro gerras poscerent, irridentes Siculi gerras clamitabant;“ non improbabilem illam quidem, sed ideo dubiam, quia idem alio loco (sub v. Cerrones, quod haud dubie antique scriptum est pro Gerrones) plane contrarium dicit: „Quod Siculi adversus Athenienses cratibus pro scutis sunt usi, quas Graeci γέῤῥας appellant.“ Iam quaecunque fuerit origo translatae illius significationis, certum est, gerras pro rebus frivolis et nullius pretii fuisse a Romanis, (Poenul. 1. 1, 9.) non

vero a Graecis dictas; an etiam de hominibus, quo modo Cicero synonymo vocabulo *nugae* saepius usus est, tamdiu dubitare licet, donec insigne eius rei exemplum reperiatur. Apud Plautum enim in Poenulo III. 3, 10. vocabulum *gerrae* mihi quidem videtur epiphonema esse, eoque notari Argyrippi vanum legum scribendarum studium, non qui mox commemorantur homines legibus istis parentes. Festi vero auctoritas, apud quem saltem vocem *congerrae* reperiri quidam autumant, ob variam scripturam non magis valet, quam Coelii a Nonio servatum fragmentum, in quo nihil satis firmi videmus, quamobrem *gerrae* potius, quam *gerro* scriptum fuisse defendamus. Licet vero fieri potuerit, ut vetustissimi Romani in vulgari sermone et in scena nugatores vocitarent gerras; tamen non est credibile, eos a graeco vocabulo *γέῤῥαι*, adversante linguae analogia, derivasse latinum nomen *gerro*, cuius nec similem formam, veluti *γέρων* a *γῆρας*, nec parem significationem in graeco sermone reperirent; atque adeo processisse audaciae, ut monstrosum vocabulum *congerro* inde componerent. Aberrasse igitur a vero nobis videntur grammatici, qui illam vocem semigraecam esse putarent, inque eum errorem inducti esse diversa vocabuli scriptura. Cum enim idem vocabulum modo una modo geminata litera canina scriptum invenissent, existimarunt diversas esse eius origines, et *congerrones* quidem a *gerris*, *congerones* a *gerendo* esse nominatos.

Sed communem subesse utrique formae stirpem, communem etiam notionem nos ita intelleximus, ut idem aliis persuadere haud difficile esse arbitremur. Ac primo quidem veram et nativam figuram vocabuli esse *congerones*, clare elucet ex illo loco in Truculento I. 2. ubi poeta, facta congerronum mentione, ludit in verbis *oggerere*, *aggerere* et *adcongerere*, ab eadem stirpe deductis, idque agit sedulo, ut appareat, ex qua re adolescentes istud cognomen traxerint. Scilicet solebant dissoluti iuvenes, genio suo ampliter sacrificaturi, conferre pecuniam, unde convivium vel apud unum sodalium, vel in aedibus meretricularum appararetur. In qua

epulari accubatione, omnium nequitiarum et flagitiorum plenissima, adeo ad quidlibet audendum erant proiecti, ut furtivas etiam manus sodalium amicarumque bonis inferrent. Quo factum est, ut ii, qui propter pecuniam ad epulas, non ad alios usus (veluti ad sublevandam amicorum inopiam, quod facientes *ἐρανισταὶ* vocabantur), congestam, quae graeco vocabulo symbola, latino collecta dicebatur, congerones (h. e. *symbolarum collatores.* Curcul. IV. 1, 13. graece *συμβολατεύοντες*, unde *symbolatores*, appellarentur, haud bene audirent ab honestis viris, sed merito pro voluptariis, nefariis, nugatoribus, furibus haberentur. Horum enim vitiorum affines isto vocabulo significari non docet solum locus e Truculento indicatus, sed etiam illa perditi adolescentis apud Terentium Heautont. V. 4, 10. pictura: „*Gerro*, iners, fraus, helluo, ganeo, damnosus;“ praetereaque breve illud a Nonio ex Portitore Coelii propositum fragmentum: *Cur depopulator gerrae;* quod plus quam verosimile est refingi debere sic: *Fur*, *depopulator*, *gerro.*

Sunt igitur congerones non solum ii, qui in commune convivium ad alios suas epulas congerunt (ut Plautus loquitur Trin. II. 4, 70.), sed ii quoque, qui aliorum bona clam ad se congerunt, quos poeta in Truculento II. 1, 4. appellat *forasgerones*, explicationis causa addens: *bonorum exagogae.* Deinde quod attinet caninae literae geminationem, quae in hoc, de quo agitur, vocabulo subinde reperitur, non satis certo scio unde ea profecta sit. Inclinabat quidem animus, ut arbitrarer, id tribuendum esse nimiae quorundam diligentiae, qui nomen *gero* et *congero* ita distinctum vellent a verbis similis figurae; sed revocabar ab hac sententia, cum recordarer multorum verbalium in O desinentium, quae plane cum verbis suis conveniunt, veluti *anteambulo*, *calcitro*, *centurio*, *comedo*, *formido*, *harpago*, *lanio*, *volo.* Verisimilior causa repetenda mihi videbatur a nonnullorum hominum consuetudine in pronuntiandis syllabis plus iusto indulgendi quarundam literarum, semivocalium maxime, sono; qua re efficitur, ut litera in ore vibrare incipiat, ad aurem vero plus semel accidat. Ex quo

quidem fonte fluxerunt dispares nonnullorum vocabulorum figurae, ut *solers* et *sollers*, *solicitus* et *sollicitus*, *anulus* et *annulus*; quae fecerunt, ut docti viri, de significatione eiusdem vocabuli idem statuentes, de origine in diversissimas discederent sententias. Nam metricae necessitatis gratia non opus fuisse in nomine *congero* a poetis, apud quos solos illud hodie legitur, geminari literam caninam, docet penultima syllaba in tali sede semper posita, quae brevem vocalem aeque ac longam admittit. In simplici autem voce *gerro*, quae in uno tantum loco apud Terentium in Heautontimorumeno, V. 4, 10. reperitur, nisi credideris poetam secutum fuisse peculiarem aliquam pronuntiationem, nihil impedit, quominus alteram consonam extrudas. Etsi enim tum brevis vocalis sedem longiori debitam occupatura sit, accentus per se efficere potest, ut prior syllaba vocabuli *gero*, etiamsi duplicatione consonantis non adiuvetur, producatur; quandoquidem accentus a veterrimis poetis ad constituendam syllabarum mensuram multis modis adhibeatur. Quod si quis concedere nolit, ei per me licebit statuere, illud *gero* non verum esse, sed ortum ex *congero* propter non observatum a librariis scripturae compendium. At enimvero formam pertractati vocabuli aliorum arbitrio facile remittimus, originem nostro iudicio tuemur, etiam contra eos, qui, ut congerrones a gerris dictos esse vincant, Lucilii auctoritatem nobis opponunt; cuius haec verba a Festo referuntur: *Tapullam rident legem congerrae opimi.* Quam debili enim et inani utantur argumento vel ex metro intelligitur, quod constare non potest, nisi legas:

— — *Tapullam rident legem congerae*
Opïmi.

Potuisse autem eundem hominem et *congeronem* et *congeram* appellari, posteriorisque figurae vocem ad similitudinem aliorum nominum compositorum, ut *advena*, *transfuga*, *agricola*, non obstante altera forma *congero*, formari, sciunt omnes, qui de abundantibus, quae vocantur, Latinorum nominibus, compertum habent.

Nostram igitur sententiam de re hactenus enucleata his paucis verbis comprehendimus: Vocabulum *congero* et, quod idem est, *congera*, ob aliam pronunciationem geminata nonnunquam postrema consona scriptum, ducitur nequaquam a gerris, sed a congerendo, significatque adolescentem cum sodalibus de symbolis convivantem, nugantem omnique licentia, nequitia atque adeo furtis grassantem.

XXV.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

SEPTIMUM DECIMUM.

THEOLOGIAE PLAUTINAE BREVIS EXPOSITIO.

Tales esse homines, qualem sibi deum fingant, haud dubie verum ac necesse est. Nam cum recta ratio non alium deum ducat, quam qui potestate ac virtute mortalibus praestet, non possunt illi aut perfectissimae naturae admiratione et amore impulsi, aut summae maiestatis verecundia ac timore commoti, animum suum non componere ad imitationem eius exempli, quod imitari utile et honestum, negligere turpe et periculosum censent. Itaque licet mores hominum iudicare ex opinionibus, quas de deo habent, aeque atque has ex illis. Quae quidem duarum rerum convenientia incredibile dictu est, quantum momenti habeat in expediendo difficili illo iudicio de progressibus, quos varii populi diversis temporibus ad humanitatem colendam exercendamque fecerint. Id quod inprimis ad illustrandas eas antiquitatis partes valet, quarum nulla nobis a quoquam, qui aetatem tulerunt, veteri scriptore idonea scientia tradita est. In quo genere cum ea, quae ad religionem veterum Romanorum pertinent, praecipue numeranda sint, dubitamus an quis

limpidiorem et uberiorem illarum cognoscendarum fontem monstrare possit, quam Plautinas fabulas; antiquiorem certe nullam novimus. Nam rerum quidem gestarum scriptores, deorum aliquam mentionem obiter facientes, plerumque paucorum tantum opiniones commemorant, vel suam privatam sententiam interponunt: philosophi autem, consulto super rebus divinis disputantes, expolitae suae rationis decreta diligentius confirmare, quam vulgi opiniones referre solent; poetae denique pro data sibi venia quaerunt atque reperiunt, quod nusquam est gentium, et faciunt illud verisimile, quod mendacium est. Ex qua postrema classe excipiendi sunt poetae comici, quos, cum fabularum argumenta e vera hominum vita repetant, cuius expressam imaginem civibus suis cum oblectationis tum disciplinae causa tanquam morum aliquod speculum obiiciant, merito habeas pro luculentissimis testibus universae sentiendi agendique rationis, qua homines iis, quae in scena repraesentantur, locis ac temporibus, pro sua quique aetate, ingenio, ordine et fortuna uti consueverunt. Quod igitur ad antiquitates Romanas attinet, adiuvant Plautinae fabulae prae caeteris literarum monumentis cum multarum aliarum rerum claram intelligentiam, tum sacrarum maxime opinionum planam et perspicuam cognitionem; cuius percipiendae tantam affert ille poeta opportunitatem, ut si disiectam ubique largamque materiam in unum congerere volueris, non multum absit, quin religiosam Romanorum illius temporis disciplinam in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum possis redigere. Quod quidem facere nos ideo animum induximus, ut vetusti alicuius populi, ad consequendam rerum divinarum cognitionem nulla magistrorum institutione adiuti, et bonarum literarum artiumque liberalium utilissima ope tunc admodum destituti, illustri exemplo demonstraretur cum ingens sanae rationis vis ac potentia in evolvendis illis notionibus, quae menti cuiusque hominis insitae atque innatae sunt; tum eiusdem veritas, quae sane tanta est, ut omnium hominum, modo communi sensu ne careant, animos in adsensionem cogat; tum constantia, qua nihil e decretis suis seculorum sempiternis

aetatibus mutat; ut porro appareat, divini numinis reverentiam ita esse humanae naturae propriam, ut revera nullo tempore invenirentur sanae mentis homines, qui eam ab ineunte aetate capessere non necessarium, semper praestare non honestum, unquam exsuere non turpe putaverint, ut denique eos, qui Christi immortali beneficio perfectius sapiunt, pudeat tandem maledicere rationi, et impietatis pariter ac supinae stultitiae inclementer damnare homines, quos divini servatoris nostri legatus sapientissimus ab ipso Deo institutos fuisse pronunciavit. Sed, age, in rem praesentem veniamus, audiamusque quid de deo Plautus doceat.

§. 1.

Est profecto deus (Capt. II. 2, 63.), non unus quidem, at summus (Most. II. 1, 1. Men. V. 2, 61), supra nos habitans (Pers. V. 2, 38.), imperator divum atque hominum (Rud. pr. 9.), qui regnum coeli terraeque obtinet (Men. V. 1, 28.) et gentes omnes mariaque et terras movet (Rud. pr. 19.); quocum quia alii commune, raro satis discretum illud (Rud. I. 1, 11.), imperium tenent, licet divinae naturae vim modo unius modo plurium deorum appellatione comprehendere, et quod incertum est, an singulare sit, cum vulgo pluraliter dicere.

§. 2.

Dii *immortalem* agunt *vitam* Poen. I. 2, 63. Menaech. V. 1, 28), *scientes rerum omnium* (Rud. pr. 16.), non solum quae videri audirique possunt (Capt. II. 2, 64.), quaeque fuerunt et futurae sunt (Amph. V. 2, 3.), sed cogitationum adeo et voluntatum (Amph. pr. 57.). Testes igitur sunt factorum consiliorumque humanorum certissimi, ad quos in rebus dubiis provocare alios pro gravissimo valet veritatis argumento (Capt. II. 3, 66. Men. V. 2, 61. Pseud. I. 5, 99.), negatae autem fidei una ac summa est consolatio (Merc. III. 4, 41.). Habet vero illa deorum praesignis sapientia hanc vim, ut quidquid dii faciant, id recte factum censeri debeat (Most.

III. 1, 137.), et qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit (Mil. III. 1, 141.). Non minus enim, quam rerum utilium et inutilium perfecte intelligentes sunt, praestant optimae voluntatis indole (Epid. IV. 1, 12. Rud. I. 5, 3. II. 1, 16.).

§. 3.

Voluntatem autem dei, adversus quam nihil potest fieri (Aul. IV. 10, 12. Bacch. II. 3, 5.) et quae cogi nequit, *bonam* esse declarat summa cura, qua homines respicit (Rud. V. 2, 29.), eorumque saluti prospicit; quippe quorum genus colit alitque, per quem vivunt vitalem vitam, quem penes spes vitae sunt hominum omnium (Poen. V. 4, 14.); quibus fert in periculis suppetias (Amph. V. 1, 53. Cistell. IV. 2, 1. Bacch. IV. 3, 13. Pseud. I. 1, 11.), opes et bonas copias commodat (Persa II. 3, 2.), aliquid lucri adiicit (Pers. IV. 3, 1. Curc. IV. 2, 45.), plus boni saepe dat, quam quis speraverit (Menaech. III. 2, 9.) aut optare ausus fuerit (Stich. II. 1, 24.), bene consulta adiuvat et fortunat (Trin. II. 4, 175.), et recte vertit (Trin. V. 2, 31.), malorum primam susceptionem impedit (Curcul. I. 1, 27.), perfectionem facit dubiam (Bacch. II. 3, 13.). Idcirco fallunt ii aut falluntur, qui deum impulsorem sui flagitii fuisse perhibent (Aul. IV. 10, 7.). Enimvero deus est amicus hominibus (Persa IV. 4, 34.), sed praestat bonitate amicissimos homines (Bach. III. 2, 2.), et cum nihil boni sine deo auctore et tutore sit, sequitur, ut cuicunque aliquid, quod bonum putatur (Rud. IV. 4, 139.), inprimis si magnum atque inopinatum est, contingit (Cist. IV. 1, 7. Rud. IV. 5, 5.), is deum haud dubie habeat propitium sibi (Mil. III. 1, 107.), adiutorem (Epidic. II, 2, 8. III. 3, 15.), suique amantem*) (Pseud. II. 2, 19.).

---

*) Haec divini amoris vulgaris interpretatio ansam dedit variis dicendi formulis, quarum haec: *ita me dii ament* (Cas. II. 8, 16. Bacch. I. 2, 3. Men. IV. 4, 22. Poen. I. 2, 76. Persa IV. 3, 21. Stich. V. 4, 3. V. 5, 13) vel *amabunt* (Poen. I. 3, 30. IV. 2, 47. Most. II. 2, 87. Trin. II. 4, 46.), ubi interdum additur signum

Huic divinae beneficentiae coniuncta est *iustitia*, qua deus bene merenti bene prodest, male merenti par est, et hominem perinde curat, ut is alium habet (Capt. II. 2, 64.); rem male iudicatam ab hominibus iterum iudicat et multat (Rud. prol. 19.). Quapropter pietas et fides per aetatem retinenda est, post factum ut laetemur (ibid. 30.). Nam invictae pietati praemium datur (Poen. V. 4, 47. Rud. IV. 4, 32.), quique per virtutem peritat: non interit (Capt. III. 5, 32.), et post mortem nihil in morte est, quod metuamus mali (Capt. III. 5, 83. Bacch. IV. 7, 18.), cum fortunatorum insulae sint, quo cuncti, qui aetatem suam caste egerint, conveniant (Trin. II. 4, 148.). Dignis enim digna dantur (Bacch. IV. 3, 5. Pseud. I. 3, 38. Rud. II. 3, 75.) et nullus unquam deus tam benignus fuit, qui propitius fuerit impuris (Persa IV. 4, 33.). Quippe favent dii bonis et honestis, quorum pietatem adprobant decorantque (Poen. V. 4, 85.) adeo, ut piorum causa aliis quoque benefaciant (Poenul. V. 4, 107.), ipsis vero benefaciendi facultatem suppeditent (Capt. V. 1, 14.). Improbos non magni pendunt (Curc. II. 2, 12.), oderunt (Rud. II. 2, 13.), et quoniam ipsi omnibus

---

divini amoris (Stich. IV. 1, 1.), respondet nostrae, *So wahr mir Gott helfe;* quod est per euphemismum dictum pro *dii deaeque omnes me pessimis exemplis interficiant: Gott soll mich strafen* (Most. I. 3, 35.), aut pro illo, *di me faciant, quod volunt, Gott thue mir dies und das* (Most. I. 3, 65.). Quodsi ad formulam *ita me dii ament*, pro qua alibi invenies: *at me ita dii servent* (Poen. V. 4, 88.), respondetur: *ita non facient* (Pseud. IV. 2, 33.), indicatur factum esse periurium.

Altera formula, *di te ament*, usurpatur tam in simplici salutatione (Pseud. V. 2, 5.), quam in mutua, cum a salutante, *willkommen, sey gegrüsst* (Most. III. 2, 28.), tum a resalutante, *ich danke schön* (Rud. V. 2, 16. Men. II. 2, 6. Pseud. I. 3, 37. Most. V. 2, 9. Poen. III. 5, 6. IV. 2, 37.), etiam in agendis gratiis pro bene promisso, *at te Iupiter bene amet* (Mil. II. 2, 76.), quod idem valet atque hoc: *at dii tibi faciant bene* (Mil. II. 6, 87.).

Tertia formula, *si te dii amant* (Poen. III. 3, 46. Epid. III. 4, 78. Mil. II. 3, 22. II. 6, 88.), adhibetur a bonis consiliariis pro hoc: *si sapis: wenn ich dir rathen soll* (Mil. II. 5, 66.), et similis est germanicae: *wenn du nicht von Gott verlassen bist; das lasse dir Gott rathen.*

divitiis abundant (Men. I. 3, 34. Trin. II. 4, 89.), et dare possunt, quae quis optet (Mil. IV. 2, 47. Poenul. V. 2, 95.), eorum gratiam negligunt (Poen. IV. 2, 1.) et donis non placantur (Rud. prol. 23.); imo irascuntur maleficis (Poen. II. 5. Rud. IV. 4, 102.) eosque eunt perditum. Quamquam et hi invenient veniam sibi, facilius tamen pii, quam scelesti (Rud. prol. 27.); obstinate autem flagitiosis cruciamenta fient Acherunti (Capt. V. 4, 1.), unde nulla spes est ut aliquis emittatur (Poen. I. 2, 131.).

§. 4.

Parem exsequendis decretis suis deus habet *potentiam*, et quidquid vult, effectum reddit. Est enim non viripotens solum (Persa II. 3, 1.), et multipotens (Cas. IV. 4, 17.), sed omnipotens (Poenul. I. 2, 63.), non subiectus Fortunae, quae deorum quidem spectatrix est, hera vero solis hominibus (Mercat. III. 4, 12. V. 2, 1.). Sunt tamen, quae ipsi dii facere nequeant, nempe ea, quae repugnant vel rectae rationi, v. c. ut sit aliquis similior simillimo (Mil. II. 6, 50.), vel ipsorum voluntati, quandoquidem et velle et posse et efficere in deo idem est (Rud. IV. 5, 3.).

§. 5.

Ob tantas igitur virtutes, unde salus hominum proficiscitur, prosequendi dii sunt cum *externa*, tum *interna veneratione*. Externa quidem ita, ut festi dies honoris causa celebrentur (Poen. V. 3, 14.), omnis generis dona atque hostiae a gratis (Asin. IV. 1, 58. Amph. I. 1, 26. Mil. II. 5, 2. Trin. I. 2, 1. Truc. II. 4, 69. II. 5, 25.), vel supplicantibus (Aulul. pr. 24.) offerantur, aliae res ad deorum pacem impetrandam necessariae procurentur (Poen. I. 2, 43.), in quam rem divinam facti sumtus sapienti lucro sunt (Mil. III. 1, 81.), solemnesque ritus, veluti in deorum imaginibus corpore dextroversum converso (Cur. I. 1, 69.) genibusque nixo adorandis (Rud. III. 3, 34.), observentur, hisque deorum caerimoniis et sacrificiis, quae fieri oportet (Cur. II. 4, 70.), nullum humanum negotium praevor-

tendum esse ducàtur (Stich. IV. 2, 43. Bacch. II. 3, 113.). Internus vero dei cultus, qui aut amore aut metu s. reverentia continetur (Poenul. I. 2, 70. Pseud. I. 3, 35.), eas gignit animi affectiones, in quibus vera pietatis laus consistit. Ac primo quidem inde oritur *modestia*, quae quía nos iubet de nobis humiliter de diis magnifice sentire, omnino efficit, ut nihil nos solos et a diis non adiutos efficere posse putemus (Capt. III. 4, 55. II. 3, 94.); ut bona quae habemus ad deos auctores referamus (Persa V. 1, 21. Merc. V. 4, 5.), non nostrae tantum virtuti adscribamus (Aul. II. 2, 44. Capt. II. 2, 74. Mil. III. 1, 85. Persa. III. 1, 62. Trin. II. 2, 65.): pro acceptis vel exiguis (Asin. I. 2, 17.) grates agamus (Mil. II. 5, 1. Poenul. V. 4, 84 et 104.): pro avertendis malis deos comprecemur (Mil. II. 4, 41. Amphitr. II. 2, 108.): ut non optemus quidquam aut decernamus, aut de nobis promittamus, nisi diis volentibus (Poen. IV. 2, 88. V. 1, 17.): ut contenti simus iis bonis, quae dii dant (Aul. I. 2, 10. Rud. IV. 7, 3.), patientes vero vitae adversitatum, etiam si immeritis accidere videantur, nec audeamus aut culpare deorum obscura consilia, (ut fit a muliere in Rud. I. 3, 1 — 14.), quod stulti et insciti sit (Mil. III. 1, 141.), aut bonis maledicere, quod manifestum mali hominis indicium fuerit (Bacch. I. 2, 10.). Immo eo est acquiescendum, quod dii ita fieri voluerunt (Capt. II. 1, 2.), quodque ita iis est placitum (Amph. II. 2, 5. Rud. I. 3, 3.).

§. 6.

Modestiae affinis est *fiducia*, quae ab optimorum et potentissimorum deorum numine potiorem opem, quam ab hominibus (Mil. IV. 5, 10.), immo omnia, quae vere sunt bona, recte sperare et exspectare (Cistell. II. 3, 52.) et votis precibusque cum tua (Mil. II. 4, 41. Merc. IV. 1, 12. Rud. V. 2, 11. Poen. V. 3, 15.), tum aliorum causa (Most. I. 1, 74. Merc. V. 1, 5. Trin. I. 2, 19. Rud. I. 4, 37.), vel nomine (Asin. IV. 1, 38.) audacter, etiam in re desperatissima (Poen. V. 4, 38.), petere iubet; quadruplici tamen conditione: si quidem

pius sis et honestus (Rud. IV. 5, 4.): si non superstitiosa, hoc est, a deorum virtute sit abhorrens fiducia (Cas. II. 5, 40.), si non negligas tuam, quantum potes, adhibere operam (Cist. I 1, 53. Pers. IV. 4, 77.), qua intermissa nihil est, quod ignavus deorum ullum accusites (Most. III. 2, 23.): denique si caveas, quod dii dant boni, culpa tua amittas (Bacch. V. 2, 70.).

§. 7.

Neque vero satis est, istam religiosam modestiam deorumque confidentiam tacito pectore includi; oportet eam etiam verbis declarari: *ita di faxint inquito* (Aul. IV. 10, 58.); *quin fabulare, di bene vertant* (Trin. II. 4, 101.). Nam pii homines, ut libenter cogitant de deo, ita frequenter loquuntur, et dei mentionem caetero sermoni suo vel praefari vel interponere solent, in hunc fere modum: *dii bene vertant* (Aul. II. 2, 53. II. 3, 5. Pseud. II. 2, 51.): *quae res bene vortat mihi* etc. Capt. II. 3, 1.): *di eam potestatem dabunt* (Capt. V. 1, 14.): *di te servassint mihi* (Cas. II. 5, 16. Pseud. I. 1, 119. IV. 1, 23.): *di melius faciant* (Cas. IV. 4, 14. Bacch. IV. 3, 13. Merc. II. 2, 91. III. 2, 14.): *di dent, quae velis* (Pers. IV. 3, 14. Epid. I. 1, 4.): *ne dii sirint* (Bacch. III. 3, 64. Merc. II. 2, 51. III. 4, 28.): *dii tibi benefaciant semper* (Mil. V. 26. Persa IV. 3, 18.): *dii me servant* (Merc. V. 4, 5. Trin. IV. 3, 69.): *ita ille faxit Iupiter* (Most. II. 1, 51.): *ite cum diis benevolentibus* (Mil. IV. 8, 41.), aut his utuntur exclamationibus: *dii boni!* (Epid. IV. 1, 12.): *dii magni!* (Truc. IV. 1, 3.): *pro dii immortales!* (Most. I. 1, 74. III. 3, 9. Pseud. II. 3, 22. II. 4, 46. Poen. I. 2, 63. Merc. III. 1, 40): *di vostram fidem!* (Menaech. V. 2, 119.). Quae formulae atque similes ut valent pro pietatis signis (Capt. II. 3, 66.), etsi non certis, quippe quibus scelerati quoque uti soleant, ita manifestum est impietatis indicium, deorum appellationem cum mala re coniungere, veluti in his: *di me atque te infelicent!* (Cas. II. 3, 29. Epid. I. 1, 11. Poen. II. 1.): *malum quod isti di deaeque omnes duint!* (Most. III. 1. 126.

Ps. IV. 7, 29. Stich. I. 3, 106.) *dii istum perduint!* (Most. III. 1, 138 et 154. IV. 2, 31. Pers. IV. 4, 70.): *dii me perdant!* (Mil. III. 2, 20.): *dii te perdant!* (Mil. II. 3, 15. Poenul. III. 2, 33. IV. 2, 41.): *di faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat* (Pers. V. 2, 42.): *di te excrucient* (Ibid. V. 2, 50.).

§. 8.

Denique cum non verbis, sed re et factis hominum animi probentur, non ullum est certius reverentiae erga deos documentum *obsequiosa pietate,* quae nos monet nostrum conservare officium (Stich. I. 1, 7.), etsi alii aliter nos faciant, quam aequum est (ibid. 43.), aliter praecipiant (Asin. III. 1, 3.), aliterque statuant (Rud. IV. 7, 8.). Nihili enim sunt officii sui immemores (Pseud. IV. 7, 2.), et is est honos homini pudico, meminisse officium suum (Trin. III. 2, 71.). Cognoscimus autem officia duplici modo, quorum alter a ratione datur, quae docet unumquemque quid faciendum fugiendumve sit. Cuius imperio cum subiecti simus lege naturae, quae eadem est cum divina lege (Capt. II. 1, 45.), sapientium hominum est hoc cavere, ne conscii ipsi sint maleficiis suis (Rud. IV. 7, 20.), et accurare, ut culpam a se segregent (Trin. I. 2, 41.). Alter modus cognoscendi voluntatem divinam inest in observandis significationibus, quae fiunt partim per auguria ex oraculis (Pseud. I. 5, 65.), sortibus (Cas. II. 5, 34. II. 6, 44.), auspiciis (Stich. III. 2, 6. Pseud. II. 4, 72. Asin. II. 1, 15. Epid. II. 2, 1.), extis (Poen. II. 18.), somniis (Merc. II. 1, 2. Curc. II. 2, 22. Rud. III. 1, 2.). capienda; partim per insignem aliquam rerum ac fortunarum conversionem (Capt. II. 1, 45.), et singularem rei aut hominis opportunitatem (Pseud. IV. 1, 1.). Iam cum id, quod dii velint, ignorari nequeat, sequitur ut, qui male faciant, deos parvi pendant (Rud. III. 2, 36.). Itaque si quis diis non sponte obedire velit, is poenas metuat, neque Titanorum more adversetur iis, quibus par esse non potest (Pers. I. 1, 26.), id quod serio minari nemo audeat, nisi qui prae effrenata ira insaniat (Amph. IV. 3, 17. Rud. III. 5, 4. Asin. I. 4, 9.).

XXVI.

PLAUTINORUM

CUPEDIORUM FERCULUM

DUODEVICESIMUM.

DE PLAUTINARUM FABULARUM TITULIS.

Cum titulorum eadem, quae omnium omnino nominum vis ac potestas sit, ut iis vel personae vel res, quibus dantur, cogitari, cognosci et a similibus facile distingui possint, iam antiquissimorum temporum hominibus usitatum fuit ingeniorum quoque opera literis exarata inscribere titulis, quo huiusmodi animorum pabuli appetentes de argumentis librorum admonerentur, bibliothecarum possessoribus paratae copiae usus expediretur, Sosii autem merci suae seu vendibili seu invendibili emtores adducerent. Constat vero inter eruditos fuisse multos titulos non ab ipsis operum auctoribus inventos, sed excogitatos ab iis, qui vel singulos libros manu sua describerent, vel plures in unum quasi corpus colligerent. Qua re factum est, ut de quorundam titulorum, quos prae se ferunt nonnulla antiquorum studiorum doctrinaeque monumenta, auctoritate dubitare liceat, idque tanto maiori iure, si quid illi in se habent, quod eius viri, cuius opus esse perhibentur, ingenio, doctrinae, moribus, aliisque rationibus aliqua ex parte repugnat. Sed quoniam ista dubitatio non solum per se molesta est, verum etiam

opinionem de ipsius argumenti inventione et tractatione minuere potest, cumque in officiis philologi sit offusas antiquitati nebulas, quantum potest, discutere, non videtur mihi otium suum inutili occupare negotio, qui indagandae veritati titulorum, quos scripta veterum gerunt, aliquid curae et laboris impenderit. Quod igitur ad Plautum attinet, non est dubium, quin ille in titulis ponendis maiorum morem sponte secutus sit, imo etiam, ut poeta scenicus, id facere coactus fuerit; quippe cuius maxime intererat, ut sibi fabulam daturo populus omissis rebus aliis daret spectandi operam, ad quam frequens hominum numerus non certius exspectari poterat, quam si a praecone ludos indicente (Pseud. I. 5, 133.) nomen quoque comoediae indicabatur. Ignoti enim novimus nullam esse cupidinem, certe non tantam, quantam rei, cuius dulcedinem vel alio tempore iam percepimus, vel percepturos esse ex ipso nomine suspicamur. Quaeritur autem, utrum omnes fabularum inscriptiones, quae nunc leguntur, a Plauto proficiscantur, an sint, quae alios habere videantur auctores, et quaenam illae sint? Atque hic videor mihi omnium eruditorum consensu posse contendere, eos titulos haud dubie esse Plautinos, qui a prologo poetae simpliciter adscribuntur, quique nihil aliud dicunt, quam ipsum nomen graecae fabulae, vel ex toto vel ex parte ab illo in latinum translatae. Sic enim Onagum Demophili Asinariam, Clerumenos Diphili Sortientes, Emporon Philemonis Mercatorem vocavit; in una tamen paullo licentius fecit, cum Philemonis Thesauro Trinummo nomen imponeret. Hos titulos Plauto deberi satis perspectum est, pariter atque illos, qui a persona, quae primas in fabula partes agit, repetuntur, quarum vel propria nomina, ut Amphitruo, Curculio, Epidicus, Bacchides, Menaechmi, Pseudolus, Stichus: vel gentilicia, ut Persa: vel ordini cuidam civium communia, ut Miles et Mercator: vel animi mores notantia, ut Truculentus: vel insignem fortunam indicantia, ut Captivi, inscriptionis loco posita videmus. In quo tam manifesta graecorum cum tragicorum tum comicorum poetarum, quorum tituli fabularum fere omnes

ex hoc fonte manarunt, vestigia deprehendas, ut nulla causa sit, cur alium, quam Plautum, illorum titulorum auctorem fuisse censeas. Idem de Rudente statuendum est; quod licet non sit aliquod primariae personae nomen, tamen rem significat, quae principalis erat causa argumenti per totam istam comoediam tractati et explicati. Aliter se res habet cum ceterarum fabularum titulis, quos variis de causis in dubium vocare licet. Ac quod primo ad *Casinam* attinet, mirum videri potest, cur Casinae nomen inscriptum sit fabulae potius, quam *Sortientes;* quo vocabulo prologum non tam interpretari voluisse graecum verbum *Κληρούμενοι*, quam latinum comoediae nomen exhibere, apparet e formula: *latine vocatur haec comoedia;* qua alibi quoque usurpata non vim ac potestatem graeci vocabuli, sed titulum fabulae, respici in promtu est. Enimvero non est facilis expeditu quaestio, utra prima ac propria fabulae inscriptio fuerit. Nulla enim causa emergit, cur Plautus interpretamentum graeci nominis fabulae, in qua homines, qui de puellae cuiusdam possessione inter se certant et sortiuntur, utique invenias, mutaverit cum personae nomine, quae tantum abest, ut primas partes agat, ut ne semel quidem in scenam prodeat. Is vero, qui pro Casina muliebri vestitu ornatus nuptum datur, tacitus scenam transit. Quodsi vero Plauto placuerit a more suo recedere et graeco titulo in latinum verso Casinae nomen anteferre, non recte dictum est a prologo: *vocatur haec comoedia latine Sortientes;* sed dicendum erat, similiter ut in Trinummo, quem titulum poeta Diphili Thesauro substituit, *huic nomen graece est Clerumenis fabulae, Plautus nomen Casinae fecit.* Atque hanc sententiam fuerunt, qui inesse putarent verbis, quae sequuntur: *scripsit latine Plautus cum latranti nomine;* eo enim nomine ipsam significari Casinam, propterea quod mulieres maledicae saepe cum oblatrantibus canibus comparentur (quod in hac ipsa comoedia accidit non Casinae quidem, sed Olympionis uxori II. 5, 9 — 12), atque adeo ita appellentur e. g. apud Aristoph. in Vespis v. 1442. Verum enimvero cum idem convicium fiat passim litigiosis maribus, neque

etiam omnes mulieres sint oblatratrices, non potuit auctor prologi *latranti nomine* mulieres omnino indigitare, minime vero subornatam Casinam, quae nullum sonum edebat. Accedit quod nihil fuerit ineptius, quam quo loco maxime decebat prodi verum fabulae titulum, reticeri illum, proque eo perplexa verborum figura quasi per transennam ostendi personam, quam sub illis orationis integumentis ne lyncei quidem oculi agnoscerent. Neque vero opus erat utramque fabulae inscriptionem latinam cum obsoletam tum novam exhiberi spectatoribus, quibus satis erat scire utitatum nomen fabulae eiusque auctorem; quod utrumque fecisse videmus prologum, dicentem: *Clerumenoe vocatur haec comoedia graece, latine Sortientes;* ac deinde: *Diphilus hanc graece scripsit, post id rursum denuo latine Plautus.* Haec spectatorum sufficiebant desiderio. Cur igitur additur: *cum latranti nomine?* Scilicet ioci risusque gratia. Referenda enim sunt haec verba non ad comoediam, quae scripta sit cum latranti nomine, quod vix latine dictum esse censeo, sed ad Plautum, cui latrans nomen h. e. caninum, ideo tribuitur, quia canes quidam, quorum aures latius patebant, Festo memorante, Plauti appellabantur. Manet igitur incertae auctoritatis titulus fabulae, quae nomen habet Casinae. Multo autem incertiores sumus de inscriptionibus Asinariae, Cistellariae, Aululariae et Mostellariae; quas quidem, omitto enim Vidulariam, de qua fabula iudicare non licet, a Plauto esse profectas aegre vixque credere possumus.

Ut enim supersedeam inquirere, cur Plautus in duabus postremis deminutivas titulorum formas praetulerit primitivis, etsi in ipsa fabula Aulularia commemoretur olla quidem sed non ollula, in Mostellaria autem nulla fiat parvi monstri mentio; utque hoc praeteream, repugnare latinae grammaticae legibus derivari adiectiva a nominibus, quae nulla inveniuntur, veluti Mostellaria deduci solet a Mostello, quod parvum monstrum significet; quasi possit remotior surculus ex arbore nasci sine propagine; ipsa inquam dicendi consuetudo eiusmodi titulorum usum repudiat. Nam cum istius terminationis

nomina adiectivorum naturam habeant; quibus titulorum loco usurpatis addenda sit vox fabula sive comoedia; libet mihi quaerere, quid fabula asinaria, aulularia, et quae similiter inscribuntur, significet? Respondebitur forsitan, istius formae adiectivis indicari id, quod ad aliquam rem pertineat, quemadmodum lex frumentaria aut agraria ea sit, in qua de frumento comportando aut de agris dividundis agatur. Sed hoc responso non contenti sumus. Est enim omnium adiectivorum ea vis, ut nomina, quibus applicantur, angustioribus finibus circumscribant et pro notis valeant, quibus res unius generis inter se differunt et distinguuntur. Quam quidem facultatem istae adtributiones tum demum habere possunt, si rei, de qua agitur, classes constituunt, neque vero uni et singulari rei adhaerent, quo casu ad explicandam generaliorem aliquam notionem nihil lucis afferunt. Hinc fit, ut lex frumentaria, agraria, tabellaria recte ita vocentur, quia tales fuerunt legum species; sed quid sit fabula aulularia, asinaria, cistellaria, ut hoc intelligas, priusquam ipsam legeris aut spectaveris, Oedipo tibi coniectore opus erit. Istiusmodi enim tituli, qui respondent vernaculo: *Topfcomoedie*, *Eselscomoedie*, non proprium edunt comoediae nomen, sed proprias fabularum formas significant, quae tamen nullae fuerunt. Quare a me impetrare nequeo, ut Plautum, cui in manu erant rectiores tituli, asina, cistella, aulula, illarum inscriptionum auctorem fuisse censeam; sed alios, quicunque fuerunt, inventores earum puto, veteres forte grammaticos, ut Varronem, Nonium, Festum, aliosque illorum aetati suppares aut ea priores; qui cum administrandae suae provinciae gratia opus haberent librorum titulis, quasdam Plautinas fabulas, iis casu aliquo carentes, inscripsisse videntur nominibus, quae argumento utcunque essent convenientia et ad formam similia illis, quae apud alios poetas reperirentur. Quorum quidem auctoritate perversae istae inscriptiones frustra defenduntur. Nam ut ad unum Naevium respiciam, commemoratur quidem illius Carbonaria, Corollaria, Tabellaria, Testicularia; sed his vocabulis commode notari potuerunt

mulieres ad similitudinem masculini generis nominum, botularius, cinerarius, crustularius, ab arte quam exercebant, vel negotio officioque quo fungebantur, ita appellatae. Carbonaria enim est, quae carbones aut vendit aut tractat (*Aschenbrödel*): Corollaria, quae coronas nectit (*Blumenmädchen*): Tabellaria, quae tabellionum vicem gerit (*Botenfrau*): Testiculariam vero, quo titulo ne spurcissimus quidem homo ad spectandos ludos invitare populum audeat, scripsisse Naevium dubito, proque eo pono Gesticulariam h. e. saltatricem (*Tänzerin*, *Iongleuse*). Unde verosimile fit, si qua similis commatis nomina a Plauto usurpata fuerunt, ea parem habuisse potestatem, et Frivolariae quidem nomine indicari mulierem, quae res frivolas i. e. nugas muliebres faciat vendatque (*Putzmacherin*): Clitellariam, quae baiulorum more onera clitellis imposita in tergo portet (*Lastträgerin*, cf. Mostel. III. 2, 94.): Baccariam, feminam μυροπωλίδα, unguentariam (*Parfumeuse*). Hanc igitur fuisse potestatem ita sonantium titulorum, qui quidem solam deperditae alicuius fabulae memoriam conservarunt, e causis superius positis coniector; si qui vero ita comparati sunt, ut nulla iis sive per se, sive propter fabulae, quae restat, argumentum, cum feminini sexus hominibus ratio intercedat, eos deberi statuo grammaticorum incogitantiae, qui vera poetarum exempla falso imitabantur. Id quod factum esse verosimile est cum Plauti Nervolaria, Vidularia, etiam Cornicularia, nisi postremo nomine vocata sit mulier, quae caput alto comae suggestu in cornu modum haberet aedificatum*); de Asinaria vero certum atque exploratum.

Huic enim fabulae dedisse Plautum nomen Asinario non Asinariae, cum ex argumento fabulae, in qua mercator asinarius neque vero mercatrix**) suas agit

---

*) Hunc capillorum ornatum videtur Ovidius in Art. Amat. L. III. v. 147. vocare *testudinem Cylleneam*. Cfr. Boettigeri Sabina I. p. 528. et passim alibi.

**) Nec mulier vesanae libidinis ad instar *asinariae Pasiphaes* apud Appuleium Metam. L. X. pag. 714. edit. Oudendorp.

partes, satis apparet, tum vincitur etiam graeco nomine Onagos in prologo posito; quod quidem nomen vertere in Asinariam Plauto non magis per leges grammaticas, quam per ipsos spectatores licebat. Nam verba illa: *si per vos licet*, pro mera urbanitate comica adduntur, nequaquam ut excusent soloecismum, quem vitare poeta facile poterat servando proprio personae genere, retinendoque aliorum more: ut L. Afranii, cuius commemorantur fabulae Cinerarius et Temerarius inscriptae. Itaque ego illius comoediae titulum corrigendum, eoque confidentius Asinariam e proscenio expellendam duco, quo clarius e verbo *vult*, a prologo usurpato, emergit, ipsum Plautum, quantum recti et elegantis sermonis exemplum! fuisse illius prologi auctorem. Nec prius ad sententiam Stephani aliorumque virorum doctorum, qui eiusmodi formae titulos adscito nomine fabula vel comoedia interpretandos esse statuerunt, accedam, quam apud ullum probatum et antiquum scriptorem vocabulum fabula vel comoedia illius formae, de qua loquimur, nominibus adiunctum invenero. Posse enim defendi illam nominis omissionem eo modo, quo nonnulla graeca et latina carmina inscribuntur, Ilias quidem, Theseis, Aeneis, Briseis, id multis de causis negandum puto; cum quia horum nominum forma alia est, patronymica quidem, quae novas parit interpreti difficultates, non tollendas illas, ut multis visum est, supplenda voce *ποίησις* *),

---

*) Id neminem ignorare Franckius ad Tyrtaeum p. 171. confidenter dixit, sed exemplis aut rationibus probare supersedit. Nam quae vir doctissimus affert Eustathii verba, iis confirmari quidem potest, quod ille vult, vocabuli *ποιήσεως* ea vis, qua corpus poematum significat, neutiquam vero demonstrari necessitas cogitandi illius vocabuli notionem, ubi *Ἰλιὰς* aut *Ὀδίσσεια* simpliciter commemoratur. Ita vero scribit Eustathius ad Homer. p. 5. edit. Rom. *Δοκεῖ δὲ ἡ τοιαύτη λέξις κτητικὴ εἶναι καὶ ἐλλειπτικῶς ἔχειν. ὥσπερ γὰρ λόγχη καὶ γῆ καὶ τροία καὶ μάχη καὶ σκοπιὰ ἰλιὰς παρὰ τοῖς τραγικοῖς ἀντὶ τοῦ ἰλιακὴ, ὅ ἐστι τρωϊκὴ, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἰλιὰς βίβλος δηλαδή. ἢ ἰλιὰς ποίησις. ἢ ἱστορία ἰλιάς.* Sed quam parum certa Eustathio eius rei ratio constiterit non solum ex usu verbi *δοκεῖν*, sed inde quoque apparet, quod plura proposuit nomina, nequaquam idem notantia; in

cui istos titulos a vetustissimis scriptoribus adiectiuorum loco additos nusquam deprehendimus, tum quia origines

---

quibus cum *ποίησις* quoque inveniatur, mirum sane est, cur ipse non alicubi in suis commentariis *ἡ Ἰλιὰς ποίησις* scripserit, sed sic potius *ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις*, aut *ἡ ποίησις, ἡ κατὰ τὴν Ἰλιάδα*, aut ut plurimum *ἡ Ἰλιὰς* sine illo supplemento; cuius interdum immemores fuisse grammaticos cum Franckius dicit, non satis virum doctum intelligo. Quod autem possessivam potestatem attinet, quam Eustathius illi Iliadis titulo tribuit, vide quam inconveniens ea sit adiectae voci *ποίησις*, quae non eodem modo potest appellari *Ἰλιάς*, ut *λόγχη* et reliqua nomina a grammatico allata, quibus res indicantur, quae ab Iliensibus h. e. Troianis habentur, tenentur, geruntur, occupantur; quod non aeque cadit in Iliadem, in qua de rebus Iliacis agitur. Quodsi quis hanc dubitationem meam auctoritate Horatii, qui *Iliacum carmen* dicere ausus est, praecidi arbitretur, eum meminisse volo, non quaeri a me de venia, quam poetarum insolenter dictis facile damus, sed postulari proprietatem et perspicuitatem sermonis, in librorum titulis maxime necessariam, ab ista vero Homerici carminis inscriptione tam alienam, ut non dicam Horatius, sed omnino nemo, qui intelligi vellet, pro *Ἰλιάδα* simpliciter diceret *Iliacum.* Tantum vero abest, ut implicata illius nominis ratio expediatur ope Iuvenalis, qui, quemadmodum Eustathius *ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις*, ita *carmen amicae Thebaidos* dicit (VII. 82.), ut multo fiat obscurior. Nam si *carmen Thebaidos* nihil aliud significat, quam *carmen poesis Thebaidos*, fas quoque erit dicere: *carmen carminis Thebaici.* Quod cum non liceat, oportet illum genitivum casum aut aliam habere causam, quam repetitum idem nomen a quo regitur, aut adpositionis loco stare, quae tamen natura sua non admittit eiusdem positionem.

Simili obscuritate laborat Odysseae titulus, qui vel propterea non eget additamento *ποίησις*, quia accentus inclinationem habet personarum nominibus propriam. Id iam Eustathio observatum est, cuius haec verba sunt: p. 1380. 41. edit. Rom. *προπαροξύνεται δὲ ἡ λέξις ὁμοίως τῷ ἱερεὺς ἱέρεια. βασιλεὺς βασίλεια. εἰ καὶ ἄλλως κατὰ λόγον κτητικοῦ παροξύνεσθαι ὤφειλεν.* Sed cum grammaticus ille non habeat personam, quae hoc nomine vocetur, comparat illud cum neutrorum adiectivorum terminatione, *ἠκολούθησε δὲ μάλιστα ὁ τόνος τῆς ῥηθείσης λέξεως τῷ πατρόκλεια, δολώνεια, καὶ τοῖς ὁμοίοις.* Unde coniicias voluisse eum intelligi *Ὀδύσσεια πράγματα*, nisi idem cogitare se *Ὀδύσσειαν πραγματείαν* diserte diceret ad Iliad. k. p. 785. *προπαροξύνονται δὲ — αἱ τοιαῦται λέξεις, ὥσπερ καὶ Τηλεγόνεια κατὰ τὴν παλαιὰν ὀρθογραφίαν, ἡ κατὰ Τηλεγόνους πραγματεία, καὶ Ἡράκλεια, ἡ κατὰ Ἡρακλέα, καὶ Ὀδύσσεια, ἡ κατὰ Ὀδυσσέα.* Quid igitur de istorum Iliadis

illarum inscriptionum aeque ac Plautinarum non omnes ad carminum auctores certo referre licet, quod de Homero saltem exploratum est; denique quia nonnulla istorum nominum iam antiquitus etsi per orationis figuram pro mulierum nominibus haberi potuisse, Ovidii testimonio insigniter probatur, ita dicentis: (Trist. II. 3, 71 etc.)

Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera, de qua
    Inter amatorem pugna virumque fuit?
Aut quid Odyssea est, nisi femina propter amorem,
    Dum vir abest, multis una petita procis.

Quae verba vide quam meae sententiae de vocibus fabula vel comoedia titulorum Plautinorum interpretationem non adiuvantibus, suffragentur! Nihil autem proficere mihi videntur, qui Terentium vocant in auxilium, in prologo dicentem, se personas transtulisse in *Eunuchum suam*. Hoc enim sermonis exemplum nequaquam ad rem pertinet, simul quia ibi vox Eunuchus adpositionis non adtributionis loco stat, simul quia mentio fabulae proxime antecessit pariter atque continuo sequitur*). Absolute enim et extra contextam orationem ita a Romanis scriptum nusquam inveni, ideoque nec probandum nec aemulandum esse quorundam putidam diligentiam arbitror, qui cum Plautum vel Terentium aliquid scripsisse in Pseudolo aut Phormione *sua* pronunciant, nescio quam eruditionis speciem prae se ferre sibi videntur. Qua quidem specie deceptus clarissimus Plautinarum fabularum editor Taubmannus in eum errorem incidit, ut nomen adeo prologi cum feminini generis adtributo posse coniungi existimaret. In qua re excusatius peccasset, nisi suae alucinationis culpam in immerentem Iustum Lipsium, virum cuius auctoritati multum semper tribuendum, nunc propter cognomines illius generos meos etiam patrocinandum putaui, inconsulte transtulisset. Vix enim recte

---

et Odysseae nominum vera vi ac potestate statuendum est? Respondeo cum Horatio: Omnia scire nefas!

*) Similiter scripsit Suetonius in vita Terentii: Eunuchus bis die acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia.

oculis cernere me existimavi, cum in Taubmanni notis ad Poenulum legerem Lipsii super prologo iudicium his vitiosis verbis expressum: „Plautina prologus haec, etsi non Plauti," cumque eandem maculam a doctissimo Koepkio, Taubmanni vestigia bona fide premente, Lipsio adspergi viderem. Itaque nihil prius habui, quam ipsum Lipsium de sententia sua interrogare, qui quidem mihi scripto (in libro de Amphitheatro. c. 15.) ita respondit: *Plautinus prologus, etsi non Plauti.* En non inutile testimonium in causa propria! Sed redeo, unde mea declinavit disputatio, ad fabularum Plautinarum titulos, quorum nomina ea, quae adiectivorum formam habent, nisi pro substantivis valere patiaris, non meream quantum in mari aquarum est, ut pro Plautinis agnoscam. Eodem igitur iure, quo Titinius comoediarum suarum aliam inscripsit nomine Psaltriae, aliam Tibicinae, usus est Naevius, Plautus ceterique poetae comici in inveniendis fabularum titulis, quorum cum frequens usus, tum nonnullorum significatio nullam habet vim ad evertendam nostram sententiam. Nam quod a feminarum appellationibus plerumque ac libenter repeterent illi fabularum inscriptiones, eius rei causa sita est in natura comoediae, cuius argumentum fere semper vertitur in mulierum amoribus, quarum illecebris non solum morandus erat spectator, ut ait Horatius (Eclog. ad Pison. 222.), sed etiam invitandus. Quod vero ambiguam quorundam titulorum interpretationem adtinet, ea aut fortunae imputanda est, qua ipsae fabulae perierunt, aut, si supersunt, neque cum titulo satis conveniunt, id ipsum, quod contendimus, probare videtur, non unum eundemque esse fabulae atque tituli auctorem. Potest autem fieri, ut titulus argumento quidem bene respondeat, sed propter formam a grammatica veritate abhorrentem ferri nequeat. Eius rei singulare exemplum nomen Poenuli est, quo, si originem quaeris, nullum potuit accommodatius ad argumentum fabulae indicandum inveniri; si figuram vocabuli respicis, vix aliud reperias, quod grammaticum magis aversari deceat; tot causae afferri possunt, quae istud nomen a Romana civitate

exulare iubent. Ac primo satis mirabile est, cum Romani saepissime Poenos pro Carthaginiensibus dixerint, ne unum quidem apud eos, qui de ista gente aliquid memorarunt, reperiri locum, ubi Poenus vocetur Poenulus. Unde facile suspiceris, hoc postremum vocabulum aut omnino non usitatum fuisse, aut, si quando fuerit, non parem cum altero habuisse significationem.

Iam cum istius formae nomina hanc vim habeant, ut minuant deprimantque notionem ei verbo inhaerentem, unde derivantur, quid Poenulus indicare potest, praeterquam hominem natione quidem Poenum, sed ulla aliqua in re alios Poenos non aequiparantem, quemadmodum amatorculus infra amatorem est, aut homunculus homini postponitur. Admittunt autem huius generis vocabula varium usum, et personam, cui tribuuntur, alia minorem esse ostendunt vel corpore, vel annis vel pretio ac dignitate. Res igitur haud dubia videtur, quin Plautus, si ex duobus Poenis in scenam productis unum Poenulum vocitare voluisset, aliquam illarum, quas dixi, rerum habuisset rationem; quarum tamen nulla in alterutrum ita cadit, ut propterea ad vituperium aut laudem insignis fuisse videatur. Nam deterior aliqua Hannonis aut Agorastoclis corporis conditio per totam fabulam non commemoratur; cur vero alter prae altero contemnendus esset, nulla causa deprehenditur; quod denique fratris filius aetate minor erat patruo, id non sufficiebat ad nomen dandum adolescenti, [si quidem, ut Camerarius putavit, ad illum spectabat titulus*)] quod nisi blanditiarum gratia, quibus in titulo fabulae non erat locus, non iunioribus quibuslibet, sed iis tantum, qui nondum ex ephebis excesserant, serio dari solebat. Quocunque igitur nos convertimus, nullam videmus idoneam rationem illius fabulae tituli. Quid? quod ille repugnat adeo verbis**) prologi, ubi ipse Plautus dicitur inscripsisse

---

*) Bellermannus, qui idem statuit, in nonnullis libris manu scriptis huic fabulae nomen esse *Patruus* dicit. Vellem hos libros accuratius nobis indicasset.

**) Ob haec prologi verba Iano Gulielmio visa est haec fabula

comoediam *Patruus Pulliphagonides* h. e. Carthaginiensis; (id quod in Plaut. Cup. Ferculo XIV. demonstravimus) quo nihil aptius ad fabulae argumentum designandamque primariam personam a poeta fieri potuit. Cum enim duo Poeni in hac comoedia suas quisque partes agant, graecum autem nomen *Carchedonius* ambiguum faciat, uter maxime intelligendus sit; poeta adiecta voce *patruus* non solum illi dubitationi occurrit, sed omnino tam clarum invenit titulum, ut non adpareat, cur eum cum monstruoso nomine unquam commutatum voluerit. Recte enim monstruosum illud appello propter deminutivi formam, qua nomina gentilicia induere, quod sciam, Romanis non in usu fuit, excepto uno vocabulo *Graeculus*, cuius nullum in latinis libris reperimus vestigium ante Ciceronis aetatem; qui quidem ut Graecorum sui temporis eruditorum virorum famam cognominis, nescio a quo inventi, exilitate attenuaret derisuique propinaret, saepius illud usurpavit, atque adeo ipse, quod Plutarchus in vita eius testatur, per convicium graeculus appellatus fuisse videtur*) (cfr. Meursius in Auctar. Philolog. c. VII.). Sed quid Plauto, qui talem causam irridendi non haberet, tamen in mentem venerit, ut nomen Poenuli fingere vellet, id nos quidem iuxta cum ignarissimis scire ingenue fatemur.

πολυωνυμίαν habere cuius auctorem si ipsum poetam fuisse censuit, oportuit eum illius inconstantiae causas exponere. Quod autem alias *plerasque* Plauti fabulas plura nomina habuisse statuit, in eo manifesto erravit.

*) Videtur inquam; quandoquidem graeca Plutarchi verba *γραῖκος καὶ σχολαστικὸς* plane id exprimunt, quod Romani voce graeculus significatum voluerunt.

XXVII.

PLAUTINORUM CUPEDIORUM FERCULUM UNDEVICESIMUM.

POENULUS.

Cum nuper in libello de Plautinarum fabularum titulis veritatem grammaticam nominis Poenuli perquireremus, fugit nos Ciceronis locus, ab ipso Gesnero et Forcellino in suis lexicis praeteritus, de Finib. IV. 20, ubi haec leguntur: *Postea tuus ille Poenulus* (*scis enim Citieos, clientes tuos, e Phoenica profectos*) — *verba versare coepit;* quo quidem refutari videntur, quae scripsimus, apud Romanos, qui de Carthaginiensibus aliquid memorarint, ne unum quidem reperiri locum, ubi Poenus vocetur Poenulus. Nam si certum est, quod hic de origine Citiensium dicitur et a Suida his verbis confirmatur: *φοῖνιξ δ' ἐπεκλήθη* (*Ζήνων*), *ὅτι φοίνικες ἄποικοι τοῦ πολιχνίου* (*Κιτίου*) *ἐγένοντο*, adparet qua de causa Cicero auctorem disciplinae Stoicae in cognomen populi Phoenicum adsciverit. Verum tamen ita non magis elucet, cur Poenulum potius quam Poenum, qua vocabuli forma Tullius alibi semper utitur, Zenonem adpellarit, et utrum aliquod, ac quale sit istarum formarum discrimen. Itaque ego ne hac quidem Ciceronis auctoritate, si vera

lectio est, moveri possum, ut de vocabuli Poenuli antiquo et communi apud Romanos usu dubitare ac suspicari desinam, esse illud in eloquentissimi viri officina ad suos peculiares usus fabricatum, ut nomen haberet, quo indicaret hominem, qui non totus atque plane is esset, qui vocaretur, sed ex aliqua parte notioni verbo primigenio subiectae minus responderet. Cuius quidem generis cum omnia sint deminutiva nomina, ingeniose fecit Cicero, quod Zenonem, qui non germanus Poenus esset, sed tamen ex civitate, quam Phoenices olim in insula Cypro condiderant, Poenulum adpellaret, eadem licentia, qua idem sui temporis Graecos, qui non explerent omnes nobilissimae illius gentis virtutis et doctrinae numeros, et vetere Graecia parum essent digni, Graeculos adpellasse primus mihi videtur. Quodsi verosimile est, Tullium fuisse nominis Poenuli inventorem, duo illa stabiliuntur, quae nuper scripto contendimus, nec Plautinae fabulae praescriptionem ab ipso poeta potuisse proficisci, nec aptam esse illis, ad quas referri solet, personis; quippe quia Hanno civis erat Carthaginiensis, Agorastocles autem, quamvis in Aetolia vivens, tamen a patria sua necessario adpellandus erat Poenus.

PROLOGUS v. 121 et 122.

Is hodie huc veniet, reperietque hic filias,
Et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego.

Mirum est, quod omnium interpretum acumen fugit, horum versuum sententiam ab eo, quod poeta factum esse voluit, plane abhorrere. Nam verba illa: *is hodie huc veniet*, sive ad eum, qui Agorastoclem adoptaverat, Archidamantem, sive ad patrem illius, Iachonem nominatum, referantur, repugnant veritati; uterque enim erat mortuus. Si vero, quod res et mentio filiarum postulat, Hannonem intellexit Plautus, male eodem pronomine *is* diversas personas indicavit; quod in antecedente quidem versu post *ille qui* redundat, e familiaris sermonis consuetudine, ideoque in editione principe, sed refragante metro, omissum est, in sequente autem simpliciter positum

non potest alius personae cogitationem in animum inducere, nisi addatur aliquid, quo *is* ab *illo* clarius distinguatur. Hoc fiet, si scripseris: *Is, qui hodie huc veniet;* cui recte opponitur versu 119: *ille qui adoptavit hunc,* sed venire non potuit, quandoquidem dudum ad plures abierat. Necessario igitur interponendum censeo pronomen relativum, quod nisi casu in libris antiquis periit, temere eiectum arbitror ab aliquo, qui particulae *que,* verbo *reperiet* adiunctae, copulandi non vero discriminandi vim tribueret, nec meminisset illius scriptorum moris, quo nonnunquam in eiusmodi partitionibus voculam *que* non solum priori orationis membro subiungunt, scribentes, *que — et* pro *et — que,* (quo quidem loquendi usu Livio maxime haud infrequenti, veluti I. 43. *hastaque et gladius.* V. 49. *diique et homines,* defendo initium capitis 56. in libro XXI. ubi sic scribendum esse existimo: *Trepidantesque et prope iam etc.*) sed eam adnectunt etiam alii, quam debebant vocabulo; in nostro enim loco *que* ad *filias* pertinet. Itaque non necesse est sequi arbitrium Bothii, qui duos illos versus post 117. collocavit, loco vel propterea incommodo, quia sic minuitur facetiarum, quas poeta versu 116 et 117 fecit, effectus, his verbis declaratus: *Ehem! paene oblitus sum reliquum dicere.* Quae quidem exclamatio si ridiculae sententiae non statim subiicitur, sed continuatae argumenti expositioni media interponitur, frigida et ieiuna videatur. In versu autem 122, ut in toto prologi exitu, cavendum est, ne in errorem incidamus de quibusdam personis, quae adpellantur nominibus, quorum propria et usitata vis alios homines significat. Nam pater istarum puellarum, versu 115. commemoratus, non erat adolescentulo *patruus,* sed *maior patruus,* neque Agorastocles huius *fratris,* sed *fratris patruelis* (cfr. v. 59.) filius. Constat enim latinae linguae pariter ac graecae non suppetere satis eiusmodi nomina, quibus singuli propinquitatis gradus accurate notentur, ut saepe necesse sit arctioris propinquitatis nomine eos amplecti, qui laxiori necessitudinis vinculo coniunguntur; quod semel usu receptum haud raro non a poetis solum, sed etiam

ab aliis scriptoribus ibi quoque factum videmus, ubi peculiaris in promtu erat adpellatio *). Ceterum in fine versus 122 tollo vocabulum *ego* secundum editionem principem et Sim. Charpentarii de anno 1513 et ultima verba cum Bothio transpono: *didici quidem.*

ACT. II. v. 24 et 25.

— — — — — — *ita ut occepi dicere,*
Lenulle, de illa pugna pentethronica.

Quando omnia nova animos fortius movent, adsolet Plautus in rebus, quarum insigni admiratione vult aliquam fabulae personam adfici, imponere nomina a nemine audita et usurpata, idque facit maxime in commemorandis locis et hominibus, ubi et a quibus res gestas esse narrat, quae vix apud stultissimos fidem invenerint. Eiusmodi nomina, quae nulli rei inhaerebant, sed in tempus erant conficta, ea arte fabricavit poeta, ut speciem aliquam haberent veritatis, et soni certe similitudine significare aliquid viderentur. Itaque oportet interpretem inani illo sono tanquam Ariadneo filo uti ad viam inveniendam, qua suum de recta talium vocabulorum forma iudicium expediat, neque rem ipsam, quae nulla est, sed rei speciem exquirere, qua fallere ignaros poeta studuerit. Ex hoc vocabulorum genere est cognomen illud, quod pugnae cum avibus gestae ab Anthemonide imponitur, graecae haud dubie originis, sed potestatis tam abstrusae, ut id, quod in omnibus libris legitur, *pentethronica* doctis viris corruptum et alio modo scribendum videretur, et Stephano quidem *pelethronica*, quo non clarior efficitur notio, Heraldo autem *pterornithica* et Gronovio *ptenornithica*, quae duae voces, etsi intellectu non difficiles, tamen in se nullum habent ad excitandam rei admirationem momentum et antiquae scripturae nimis sunt dissimiles; a qua minus quidem discedit *pentetornica* a Petro Valla, et *Pentechronica* a Bern. Sarraceno usurpatum, sed illud

*) Sic a Tacito Annal. IV. c. 75. Cn. Domitii avunculus appellatur Augustus, licet esset avunculus maior.

caret sensu, hoc autem quinquennalem pugnam, quam eo significari ait Sarracenus, neque pro graeci vocabuli χρόνος homonymia, neque ideo, quod in sequenti versu miles *uno die* hostes a se occisos esse dicit, indicare potest. Itaque cum nulla istius vocabuli transformatio nobis satis probaretur, novam tentare ausi sumus et pro *pentethronica* cum exigua duarum literarum mutatione scribimus *pentathlonica.* Quod quidem pugnae attributum, cum non simplex, sed tale certamen indicet, in quo multis modis de victoria pugnatur, inter quos etiam pancratium est, videtur mihi poeta nihil ad rem aptius facere potuisse, quam ut pugnam internecivam, omnibus artibus summaque contentione commissam, adpellaret *pentathlonicam.* Quamquam autem hoc nomen adiectivum non in usu fuit Graecis et Romanis, tamen poetae, in formandis aliis vocabulis multo audaciori, per leges utriusque linguae fingere utique licuit. Nihil autem ad rem referre arbitror, quod πένταθλον ludicrum non hostile erat certamen. Voluit enim poeta non causam, sed contentionem pugnae describere, quam in gymnicis certaminibus saepe haud minus gravem et perniciosam, quam in bello, fuisse satis constat.

ACT. III. Sc. I. v. 3.

Nam iste quidem gradus succretu'st cribro pollinario.

Errasse mihi videtur Gronovius, quod his verbis fieri putavit comparationem tardioris gradus cum tarditate, qua flos tritici e cribro excidere soleat; obscura enim harum rerum fuerit similitudo, neque vero certa, quippe cum pro vehementia, qua cribrum movetur, res secernendae aut celerius aut tardius humi deiiciuntur. Equidem non arbitror poetam voluisse indigitare tarditatis modum ac mensuram, sed causam et originem, ab eo repetendam, quod advocati illi, olim ad pistrinum damnati, adsueverint lento gradu grassari. Cum vero Plautus pro pistrino cribrum pollinarium dixisset, inductus eo est ad ponendum vocabulum *succretus*, quod a cernendo derivatum de re cribro effecta proprie usurpatur, sed

ad gradus relatum ampliori significatu idem quod *ortus* s. *natus* valet, ut videri possit a crescendo deduci; ex qua ambiguitate et lusu sermonis haud exiguus elucet ingenii Plautini lepos.

ACT. III. Sc. 2. v. 11.

Ad. *Di te perdant!* Mil. *Vos quidem hercle, commendo,*
quam etc.

Cum correctiones huic mendoso loco ab interpretibus adhibitae vel nimis recedant a verbis, quae in antiquis leguntur libris, vel non satis aptam sententiam efficiant, liceat nobis de vera Plauti oratione adferre coniecturam, in quam casu potius, quam longa meditatione incidimus. Nempe verbum *commendo*, quod probatissimi habent libri, visum mihi est continere efficacem sanando loco medicinam. Nihil enim fuit facilius, quam ut illud oriretur e fortuita trium verborum contractione *com meo dō* i. e. *cum meo domino*. Hanc opinionem adiuvat duorum codicum Pall. auctoritas, in quibus legitur *quo meo*, quod facile adparet ex *com meo* depravatum esse. Quae mea coniectura si vera est, inventa est totius loci emendatio. Tum enim versus ita constitui debet:

Di te perdant! Vos quidem hercle cum meo domino,
qui tamen etc.

Ac vide, quam apta rebus et personis haec Milphionis sit responsio. Maledictum enim advocatorum servus communi iure hominum in malevolentes reiicit, dicens *vos quidem hercle* sc. di perdant. Addit autem dominum suum vernili audacia erga herum, quem amor iubet obedientem esse servo, quamquam etiam non audiente domino pressis labris tria ista verba dicere potuit. Ne vero intempestiva ira et contumelia nimis offendat advocatos, laudem subiungit, quo eos in officio, quod praestare hero promiserant, retineat.

ACT. V. Sc. 4. v. 33. et 34.

Multa sunt mulierum vitia: sed hoc e multis maxumum est,
Cum sibi nimis placent, nimisque operam dant, ut
placeant viris.

Hic ego offendo in verbis: *cum sibi nimis placent.* Primo quidem quod sermo est de uno vitio maximo. Sed *sibi* nimis placere, et aliis placere *nimis* studere, duo ac diversa vitia sunt. Deinde mulieres, quae sibi nimis placent, plane contra faciunt, quam quod dicitur; sunt enim arrogantes ac fastidiosae et malunt a viris studiosius expeti. Itaque scribendum censeo: *cum sibi minus placent.* Sui enim mulierum displicentia hanc necessariam adfert consecutionem, ut impense operam dent, ut placeant viris. Hanc esse Plauti sententiam ex eo manifestum est, quod meretrices illas fingit nunquam sibi satis lotas et ornatas videri, vicissim tamen inter se admonere, ut nimio pulcritudinis studio modum ponant. (cfr. I. 2, 20—37. I. 2, 71. 72 et 84—94.)

Quapropter cum hoc in loco v. 20. 21. gloriata esset Anterastilis de perfecta ambarum sororum pulcritudine, Adelphasium eam v. 22. 23. stultae opinionis accusat, et interposito brevi Agorastoclis cum Hannone interloquio pergit monere sororem, ne faciat, quod homo quisquam irrideat; id autem futurum esse ait, si oblitae quo genere prognatae sint, faciant quod non deceat, nimisque operam dent, ut placeant viris. Fuerunt tamen, qui sententiam illius versus ita stabilire mallent, ut scriberent *minusque operam dant.* Sed hoc non recte a poeta esset dictum, quandoquidem personae meretricis serviendum erat, cuius vitium neutiquam est, minus dare operam, ut placeat.

ACT. V. Sc. 5. v. 22.

Non pudet puellam amplexari balliolum in media via?

Quid baliolus s. balliolus significet nulla arte extricare potui; quare tenerem veterem scripturam *baiolus*, nisi idem homo paucos versus ante diceretur esse cum longis tunicis, qualis vestitus ab eiusmodi operarum more et munere abhorrebat.

Nugas autem paene dixerim eorum explicationes, qui aut de balio s. badio quodam Hannonis colore, quem fuscum esse dicunt, cogitari, aut Ballionem, quo nomine leno aliquis apud Plautum in Pseudolo et Ciceronem

pro Rosc. Comoed. §. 61. vocatur, quasi haec sola ac propria fuerit istorum hominum adpellatio, respici, aut *alliolum*, quod hominem allio vescentem, ideoque pessime olentem, denotet, scribi volunt. Nihil enim morabatur miles, quo colore is esset, qui cum puella sua osculabatur, aut quibus moribus et victu, quove vitae genere; sed rivalem se habere utique indignabatur, quicunque ille esset, idque unum eius intererat, ne quis alius praeter se puellam amplexaretur. Quare mihi visus sum in vocabulo *balliolum* et multo magis in *alliolum* quasi per nebulam videre veram figuram nominis *alienum*. Ita vero gravissimo convicio adfici puellam, eique summam impudicitiam exprobari, quis est, qui non intelligat?

ACT. V. Sc. 5. v. 30 et sequ.

— — Ligula, i in malam crucem!
Tune hic amator audes esse, hallex viri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta maena, Sarrapis sementium,
Mastruga, ἅλς ἀγορᾶς ἅμα. — —

Habes in hoc loco magnam contumeliosorum verborum colluviem, quorum Plauti fabulae, humillimi perditique vulgi impudicos mores et sordidam dicacitatem exprimentis, pro fonte in tota literatura Romana uberrimo habendae sunt. Reperiuntur autem inter eiusmodi convicia bene multa, quorum vis et significatio ob varias causas obscura est, cum quia semel non saepius a Plauto usurpata, in nullo alio scriptore leguntur, tum quia ipsorum vocabulorum origo dubia et incerta est, denique propterea, quod res, ob quam aliquod dictum pro maledicto valeat, ignoratur. Ad quas interpretandi difficultates si accedit librorum in scribendo vocabulo discrepantia, aut omittenda est omnis eius explicatio, aut aequi bonique consulendum faciendae coniecturae periculum. Hanc igitur viam in tentanda quorundam loci propositi verborum interpretatione ingrediamur; quae si non processerit, efficiet tamen, ne nihil omnino egisse nos videamur. Ac primo quidem non adparet, quo sensu Hanno *ligula* vocetur, cum nulla e variis huius vocis significationibus rem

ostendat prae ceteris contemtam et probrosam, ut eiusmodi adpellatio potuisset facile pro foedo convicio accipi. Quare mihi videtur alia vocabuli forma, quam in editione Gronoviana e libris scriptis versui adpositam videmus, *legula*, ad verum inveniendum ducere. Arbitror enim scribendum esse *legule*, quod nomen a legendo derivatum, etsi proprie de hominibus dicatur, qui legendis pomis humi delapsis operam per se non inhonestam dant; tamen potuit duplici de causa in contumeliam trahi, quoniam id studiose facientes plerumque aut sordidam suam egestatem produnt, similiter atque aliarum rerum abiectarum collectores purgamentorumque scrutatores, ideoque vulgo despicatui habentur; aut inopia ducti ea quoque, quae non licet legere, clam sublegunt; quo furandi significatu simplex verbum legere a scriptoribus probatissimis usurpari constat. Itaque potuit hoc vocabulo Hannoni aut vestitus peregrinus ornatusque corporis e variis pannis compositus et consutus exprobrari (*Lumpensammler*, *Lumpenkerl*); aut propter invisam viri speciem, quae apud imperitos suspicionem fraudis facile excitat, furti faciendi opprobrium fieri (*Spitzbube*, *Gaudieb*). Ab externa Hannonis invisitataque specie ducta sunt reliqua in hoc loco convicia, e quibus illud *Sarrapis sementium* (quod retineo pro *semicinctium*, quo uti ad interpretationem nequeo) mutandum censeo in *satrapes dementium*. Quod enim ille, ut peregrinus, cum servis suis utebatur habitu a populari more vestium abhorrente, quo cultu insanos quoque sibi placere constat, in dementibus ab Anthemonide numeratur, et ob praecipuam prae ceteris cultus magnificentiam eorum satrapes i. e. praefectus dicitur. (cfr. Corn. Nepos in vita Datamis c. 3. „Optima veste texit, quam satrapae regii gerere consueverant.")

Denique quod ad graeca illa attinet: *ἅλς ἀγορᾶς ὅμα*, censeo pro iis, donec aliquis meliora adtulerit, scribendum esse: *ἁλὸς ἀγόρασμα* i. e. merx maritima; quo quidem convicio ille proscindi poterat ideo, quia transmarinus erat hospes, et maritimos h. e. malos mores (cfr. Cistell. II. 1, 11.) gerere facile putabatur.

I.

LOCI PLAUTINI IN HOC LIBRO EXPLICATI AUT EMENDATI.

(Asteriscus indicat locos in libellis, qui fercula inscribuntur, copiosius enarratos; qui carent asterisco loci, vel in iisdem libellis, sed obiter, vel in antecedentibus commentationibus expositi sunt.)

Rudens.

Stichus.

Trinummus.

Truculentus.

II.

LOCI ALIORUM SCRIPTORUM EXPLICATI AUT EMENDATI.

III.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Corrigenda.

Pag. 8. not. vers. 3. ab ult. leg. *interpretari.*
— 15. not.*) l. *fercul. XIV.*
— 16. not. vers. 23. l. *propositos.*
— 42. vers. 16. l. *ut ornamentis*, diductis literis.
— 47. — 14. l. *murinas.*
— 62. — 1. l. *iudicium.*
— 66. not. vers. 9. l. *Sed.*
— 67. vers. 13. l. *easdem.*
— 73. — 3. ab ult. l. *et.*
— 102. — 15. l. *indicans.*
— 106. — 12. ab ult. l. *commodum.*
— 108. not. vers. ult. signum ,,ab initio versus ponendum.
— 111. vers. 3. 4. 5. signum ,,delendum.
— — — 11. ab ult. signum " post *etc.* addendum.
— 119. — 8. delendum comma post *quidem.*
— 120. — 15. l. *asto prae*, diductis literis.
— 123. — 16. delendum punctum post *legendum.*
— 124. — 21. l. *explicare.*
— 126. — 8. l. *autem.*
— 137. — 8. ab ult. l. 10 — 12.
— 140. — 11. l. *illius.*
— 149. not. vers. 2. l. *Ruddimannum.*
— 229. vers. 10. ab ult. l. *ab.*
— 259. — 14. ab ult. l. *faciunt.*
— 282. — 10. addendum parentheseos signum post *symbolatores.*

(Praeterea literae *u* et *v* interdum antiquo more commutatae, et passim v. c. p. 160. in divisione syllabarum erratum.)